DE ELOCUTIONE M. FABI QUINTILIANI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

XAVER GABLER
STRAUBINGENSIS.

RIGOROSUM SUSTINUIT A. D. III. ID. MAI. MCMX.

BORNA-LEIPZIG
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMX.

Inter scriptores argenteae quae dicitur aetatis insignem locum eo obtinet Quintilianus, quod multa dicendi vitia, quae tum in scholis rhetorum atque in foro cotidie increscere quibusque veram eloquentiam ac virilem maxime depravari sibi persuaserat, acriter patefaciebat et vehementissime impugnabat. Quare et librum de causis corruptae eloquentiae in lucem edidit et in quorundam dicendi genus, maxime Senecae philosophi, adeo invectus est, ut plurimi Romani eum inimicissimum illius esse tum falso crederent (cf. Inst. or. X 1, 125). Ipsum autem Quintilianum, cum specimen optimum perfectae eloquentiae sibi proposuerit Ciceronem, quem summis laudibus efferebat ac principem eloquentiae appellabat cuiusque praecepta sequi officium esse oratoris putabat, etiam in elocutione sua aspernari illorum temporum genus dicendi et proxime accedere ad Ciceronem facile credas. Utrum autem ita res se habeat necne optime apparebit, si perspexeris, quae ratio intercedat inter illum et scriptores argenteae aetatis. Inspiciendum igitur quod solum illius ad memoriam nostram permansit opus, Institutio oratoria. Perierunt enim alii libri duo eius uberiorem et haud scio an magis idoneam materiam praebentes, et ille quem supra nominavi libellus et actio quaedam de causa Naevi Arpiani (cf. Inst. or. VII 2, 24).[1] Itaque mihi proposui illius operis sermonem, quibus maxime rebus a veteribus scriptoribus differat quantumque aetati suae tribuat, accuratius inquirere.[2] In locis citandis secutus sum *editionem F. Meisteri*, M. Fabi Quintiliani Institutionis oratoriae libri duodecim, Lipsiae-Pragae 1886, respectis etiam illius addidamentis, quae dedit Berliner Philol. Wochenschrift 1904 Nr. 2—6. Sed contuli Halmii quoque praeclaram editionem (Lips. 1868 — 1869) imprimisque Ludov. Radermacheri (Pars prior libros I—VI

[1]) Illa autem opera duo, quae continent declamationes quaeque aliquamdiu sub nomine Quintiliani ferebantur, ab eo scripta *non* esse inter omnes fere doctos iam constat.

[2]) In hoc studio adiutus sum his potissimum libris: R. Törnebladh, De elocutione Quintiliani quaestiones, Upsalae 1858. — R. Törnebladh, De usu particularum apud Quintilianum quaestiones, Holmiae 1861. — F. Becher, Quaestiones grammaticae ad librum X. Quintiliani de instit. or., Nordhausen 1879. — E. Günther, De coniunctionum causalium apud Quintilianum usu, Halis Saxonum 1881. — A. Marty, De Quintilianeo usu et copia verborum cum Ciceronianis potissimum comparatis, Glaronae 1885. — P. Hirt, Über die Substantivierung des Adiectivums bei Quintilian, Berlin 1890. — K. Friz, Sogenannte Verbal-Ellipse bei Quintilian, Tübingen 1905. — E. Bonnell, Lexicon Quintilianeum in editione Spaldingii v. VI. Lips. 1834, grammaticam quoque sermonis Quintilianei continens. Ceteros auctores, quorum libros in usum meum converti, suo loco afferam.

continens, Lips. 1907), tum has editiones singulorum librorum: Ch. Fierville, M. F. Quintiliani de instit. or. liber I. Paris 1890. — A. Krüger, M. F. Quintiliani instit. or. liber X. Leipzig 1888[3]. W. Peterson, M. F. Quantiliani instit. or. liber X. Oxford 1891.

Disponere autem materiam ita institui, ut dicam *primum* de delectu atque usu vocabulorum, *deinde* de eorum coniunctione sive de ratione syntactica, *tum* de compositione sententiarum sive de stilo.

Pars I.

De delectu atque usu vocabulorum.

Caput I.

De delectu vocabulorum.[1])

§ 1.

Vocabula Quintilianea, quae sive ab aliis scriptoribus argenteae quam vocant aetatis sive ab ipso ex superioribus imprimisque ex poëtis desumpta apud Ciceronem et Caesarem non inveniuntur.

abnegare idem valet quod recusare XI 2, 11 abnegatae pecuniae partem. Verg. Col. Lucan. alii. — *abolere* est delere I 5, 29; 6, 20. Poëtae, Liv. Vell. Val. Max. Plinii, Tac. Suet. alii. — *abominari* IV 1, 33; XI 3, 86; ibid. 114. Ov. Liv. Col. Plinii, Sen. rhet. Sen. phil. Suet. — *abominandus* = detestabilis VIII prooem. 27; 4, 22; 6, 40; IX 2, 80; XII 5, 2; 7, 11. Liv. Val. Max. Plin. mai. Sen. phil. alii. — *absinthium* III 1, 4; ibid. 5. Plaut. Cato, Varro, Lucr. Ov. Plin. mai. Col. — *acervare* est cumulare IX 3, 47. Liv. Sen. rhet. Plin. mai. Sil. Stat. alii. — *adiutorium* I 1, 27; III 6, 83; 9, 4; XII 10, 43.[2]) Cic. fragm. apud Col. 12 praef. 1; Asin. Pollio apud. Suet. gramm. 10. Vell. Val. Max. Sen. rhet. Sen. phil. — *adlocutio* est t. t. IX 2, 37. Sen. rhet. Plin. ep. Suet. alii. — *adnominatio* est figura IX 3, 66 *παρονομασία* quae dicitur adnom. Auct. ad Her. IV 29. — *altus* post Livium saepissime translate dicitur, ubi optimi scriptores alia adiectiva, velut magnus, summus, gravis solebant usurpare (cf. Antib.[7] s. v.) cf. VI prooem. 7 altae mentis. (Apud Ciceronem Mil. 21 legitur sic altus *cum alio adiectivo:* homo alta et divina mente praeditus). IV prooem. 1 sollicitudo; I 4, 6 eruditio; III 8, 42 altior quaestio; VIII 3, 83 altior intellectus; VIII 3, 2 artes; II 1, 3 disciplinae; X 3, 22 altissimum silentium; XI 3, 23 sonus; II 13, 15 prudentia; cf. Val. Max. VII 2 ext. 7 altioris prudentiae praeceptum. Verg. Liv. Curt. Petr. Lucan.

---

[1]) Adiumenta: Thesaurus linguae Latinae. — R. Klotz, Handwörterbuch der lateinischen Sprache. — K. E. Georges, Lexicon der lateinischen Wortformen, Leipzig 1890. — Nägelsbach-Müller, Lat. Stilistik, Nürnberg 1905[9]. Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Sprache I, Leipzig 1901[3]. J. H. Schmalz, Antibarbarus der lat. Sprache[7], Basel 1905—07. Inspexi etiam singulorum scriptorum quorum quidem exstent lexica.

[2]) In Thesauro l. L. exstat falso XII 12, 43.

Sen. phil. Plin. ep. et pan. Tac. Gell. alii. — *ambitus* rerum X 1, 16 (Krüger ad h. l. 'ambitiosa rerum expositio'). Val. Max. IV 1, 12 amb. orationis. Col. Apud Ciceronem ambitus verborum est περίοδος; cf. Quint. IX 4, 22; 124. — *ambages* (Rätselhaftigkeit) III 11, 23 per ambages. Poët. Liv. Val. Max. Plin. mai. Tac. Fronto, Apul. (v. Antib.[7] s. v.) — *ampliare* est 1) dicendo ornare VIII 4, 20 virtutem. Mart. VIII 66, 11; poster. (cf. Thes. s. v.). 2) augere I prooem. 27. Bell. Hisp. Hor. Mon. Ancyr. (Antib. s. v. I[7] p. 159) Cels. Mart. Suet. — *anemona* VIII 3, 8. Plin. N. H. — *aspirare* est 1) t. t. gramm. (aspirieren) I 4, 14; 5, 20. Nigid. apud Gell. XIII 6, 3. 2) inicere IV prooem. 5;[1]) III 1, 4 (Raderm.!) Auct. ad Her. Verg. Ov. Val. Max. Curt. Amm. De huius verbi usu Ciceroniano v. Schmalz, Antib. I[7] p. 205. — *asserere* significat vindicare I prooem. 16; IV 2, 95; VI 5, 8; IX 3, 64; XII 1, 20. Ov. Sen. rhet. Vell. Val. Max. Manil. Curt. Plin. ep. Mart. Suet. — *astruere* est opinione affingere VIII 3, 64 quaedam etiam ex iis, quae dicta non sunt, sibi ipse astruat. Ov. Vell. Sen. rhet. et phil. Plin. mai. et min. Tac. alii. — *attonitus* XI 3, 73. Poët. Sall. fragm. Liv. Vall. Max. Curt. Sen. Plin. Suet. — *audens* XII 10, 23 latior et audentior et excelsior (sc. Aeschines). Verg. Ov. Stat. Sen. ep. Plin. ep. Tac. Suet. Gell. alii. — *audentius* VIII 3, 27, cf. Tac. — *baiulare* i. e. portare VI 1, 47 Ego te baiulare non possum (vox cuiusdam hominis!). Plaut. Phaedr. Dig. — *balare* de voce ovium vel agnorum I 5, 72. Plaut. Varro r. r. Ov. Sil. Balans legitur apud Phaedrum; cf. Juv. Enn. apud Ciceronem div I 21, 42. Substantivi loco apud Lucretium, Vergilium. *calcare* i. e. obterere V 13, 22 ut, quae dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus. I 4, 13. Liv. Prop. Ov. Sen. Stat. alii. — *cardo* translate i. q. caput. V 12, 3 hic causae cardinem ponit; cf. XII 8, 2. Verg. Aen. I 672. Val. Max. III 3 ext. 5. Stat. Lact. inst. III 7, 6. — *catenatus* I 1, 37; VIII 3, 69. Poët. Plin. mai. Suet. — *causari* est conqueri (Thes. III p. 705) XI 1, 59. Verg. ecl. IX 56. — *circumlinire* I 11, 6; circumlitum (καταπεπλασμένον) VIII 5, 26. Poët. poster. — *circumspectus* i. e. providus V 7, 31; X 1, 26; XII 7, 23. Ov. Val. Max. Cels. Sen. phil. Col. Suet. Adv. cirumspecte IX 2, 69; cf. Sen. Gell. Cic. acad. II 35 usurpat circumspectionem. — *clarescere* I 11, 7; III 8, 61; VI 4, 9; VIII 5, 19. Lucr. Verg. Sen. trag. Stat. Tac. Suet. — *colaphus* VI 3, 83 colaphum tibi ducam.[2]) Plaut. Ter. Plin. mai. Sen. rhet. Juv. — *comissari* = κωμάζειν XI 3, 57. Plaut. Ter. Liv. Curt. Petr. Suet. Subst. *comissator* III 6, 26. Ter. Cic. Liv. Petr. Mart. Gell. — *commori* translate dicitur VIII prooem. 31 cum singulis paene syllabis commori. Cf. Plaut. Liv. epit. Val. Max. Plin. mai. Sen phil. — *compendium* est via commodior et brevior II 13, 16; IV 2, 46; I 1, 24; 30; 4, 22. Ov. Tac. Plin. pan. Gell. Flor. — *conflare* de metallis IX 2, 92 Victorias aureas in usum belli conflare. Verg. Georg. I 508; Val. Max. VII 6, 4; Plin mai. Sen. phil. Suet. — *consultus* absolute invenitur pro

---

[1]) In Thesauro l. L. II p. 841 legitur falso IV 1, 5.

[2]) Haec locutio sermonis plebei propria esse videtur. Cf. apud nostrates: einem eine herunterziehen.

iuris consulto VII 6, 1; XII 3, 7; ibid. 8. Hor. Sen. rhet. — *consummare*[1]) est ad perfectionem perducere II 15, 29; III 9, 9; X 1, 89; 2, 28. Liv. Vell. Val. Max. Vitr. Sen. rhet. et phil. Plinii, Tac. Item argenteae aetatis vocabula sunt: consummatus = perfectus, absolutus I prooem. 20; 10, 6; alibi (v. lex. Bonn. s. v.); consummatio = absolutio II 18, 2; VI 1, 55; cf. IX 2, 102. — *contemptus* 1) passive dicitur, velut III 7, 19 c. afferre. Jam apud Caesarem b. G. II 30,4. 2) active, velut XII 2, 30 doloris; VII 2, 29 pecuniae. Cf. Val. Max. III 3 ext. 6; bell. Alex. 74, 3. Ex Livio posteriores hoc vocabulum sumpsisse videntur. Apud Ciceronem tantummodo contemptio invenitur. — *corpulentus*. De hoc vocabulo cf. Fest. Paul. p. 62 'Corpulentis Ennius pro magnis dixit, nos corpulentum dicimus corporis obesi hominem'. Haec autem significatio in sermone cotidiano pro pingui versata esse videtur. Occurrit enim ita iam Plaut. Epid. I 1, 8, sed Ennium, cum voci illi sensum m a g n i subicere vellet, nemo scriptorum, quod quidem litteris exstet, secutus est. Omnino corpulentus iam non legitur usque ad Col. VI 3, 5, qui pecus corpulentum appellat; tum Quint. VI 1, 47 litigatorem dicit corpulentum. Cf. Gell. VII 22, 1. (V. Thes. III p. 998 s. v.). — *cudere* i. e. feriendo producere. IX 2, 61 anulum sibi cudi ab aurifice iusserat. Cic., qui Verr. IV 26 eandem rem narrat, usurpat anulum *facere*. Plaut. Ter. Lucr. Plin. Col. — *cultor* absolute dicitur pro agricola II 19, 2 (variandi causa sic poni videtur). Sall. Jug. 46; Verg. Aen. VIII 8; Liv. XXI 34; Ov. Met. I 425. — *cultus* i. q. vestis, vox post Livium usitatissima XI 3, 137. Sall. Nep. Hor. Ov. Liv. alii. — *decens* I 10, 26 et saepe (v. lex. Bonn. s. v.) cf. II 15, 21. Hor. Ov. Sen. phil. Tac. — *decor* est species, venustas. VI 3,20 et alibi. Ov. Val. Max. Curt. Sen. phil. Tac. — *deducere* poëtarum more legitur pro componendo III 6,59 commentarios; IV 1, 60 orationem. Ov. Hor. Prop. Col. Sen. Juv. — *demereri* aliquem est mereri de aliquo I prooem. 3; IX 2, 29. Ov. Liv. Vell. Col. Plin. ep. Tac. Suet. — *denominare* i. e. nominare I 5, 71; III 6, 41; VIII 2, 4. Auct. ad Her. IV 43 Hor. poster. — *densare*: 1. proprie V 9, 16 densatus aër. Verg. Liv. Curt. 2. de oratione IX 3, 101 i. e. cumulare. — *detonare* i. e. conticescere XII 9, 4 iactatio inter plausores detonuit. Verg. Val. Flacc. — *dinoscere*, poëtarum vox, invenitur XI 3, 18; ibid. 31. Hor. Ov. Val. Max. Col. Plin. mai. Pers. Tac. Suet. — *dissimulator* II 2, 5; 17, 6. Sall. Hor. Ov. Tac. — *durabilis* i. q. firmus, mansurus. XI 3, 32; ibid. 23 et 40. Ov. Col. poster. — *durare* est permanere, vigere. I 1, 5; alibi; v. Bonn. lex. Poëtae. Liv. Vell. Plinii. Col. Curt. Sen. rhet. et phil. Tac. — *elegia* I 8, 6; X 1, 58; ibid. 93. Ov. Mart. Stat. Auson. — *emereri* IV 1, 2 et IV prooem. 1 est mereri. Plaut. Prop. Ov. Val. Max. poster. — *emunctus* translate de homine dicitur XII 10, 17 Attici limati quidam et emuncti. Plaut. Hor. Phaedr. — *enarrabilis* VI 3, 6; XII 10, 76. Verg. Pers. Sen. ep. — *eniti* i. q. parere VI prooem. 4; V 13, 9. Verg. Ov. Liv. Vell. Val. Max. Plin. mai. Stat. Tac. Suet. — *evalescere* II 8, 5; VIII 6, 33; IX 3, 13; X 2, 10. Verg. Hor. Stat. Plin. mai. Tac. — *everberare* i. e. verberare II 4, 18. Verg. Ov. Val. Flacc.

[1]) Cf. Wölfflin, Archiv. II p. 355 de verbis desuperlativis.

(Pseudo-Quint. decl. V 16). Curt. Sen. phil. — *exactor*[1]) I 3, 14; 7, 34 recte loquendi asper exactor. Liv. Suet. — *exactus* = perfectus vel potius accuratus X 2, 14. Hor. ep. II 1, 72. Ov. Liv. Sen. rhet. et phil. Plin. mai. et min. Suet. — *exasperare* dicitur 1. de voce i. q. asperam facere XI 3, 20. — Ov. Liv. Plin. Cels. 2. translate i. q. invisum facere IV 2, 75 adiecit invidiam, rem verbis exasperavit. Liv. Val. Max. Col. — *excreare* (räuspern) XI 3, 160. Ov. Tib. Plin. mai. Cels. Suet. — *exhortari* i. e. cohortari X 1,79; XII 8,7. Verg. Ov. Val. Max. Col. Plin. mai. et min. Petr. Tac. — *exolescere* translate est in oblivionem abire I 6, 11 prima positio etiamsi vetustate exoleverat; partic. exoletus legitur VIII 2, 12 exoletos auctores. Liv. Vell. Col. Plin. mai. Len. phil. Tac. Suet. E poëtis hoc verbum tantum Stat. silv. I 6, 99 occurrere videtur, partic. autem invenitur apud Plaut. Len. trag. Mart. — *expavescere* IX 4, 35. Hor. Liv. Sen. trag. Plin. Tac. Suet. alii. — *exserere* translate exstat IV 1, 55 ut fiducia se ipsa nimium exserere non debeat. Proprie legitur hoc verbum IX 4, 90; XI 3, 92; ibid. 116 et 118. Ov. Liv. Plin. mai. et min. Col. Sen. Suet. — *exspatiari* est se extendere, evagari XI 3, 84. Translate II 10,5; 17,1; IV 3,4. Ov. Plin. Sil. — *exspirare* est animam efflare VI 2,31. Verg. Hor. Sall. Liv. Vell. Val. Max. Plin. Gell. — *extundere* est cum labore efficere, ut evadat aliquis vel aliquid: I 3, 6 alios continuatio extundit. Plaut. Verg. (Georg. IV 315; 328); Hor. (sat. II 2, 14); Suet. (Vesp. 2); Gell. (XVII 20,4); sequente ut Val. Max. I 4,4; V 2, 10. — *fabulosus* II 10,5; XI 2,16; I 8,21; II 4,18; V 13,24. Hor. Plin. Curt. Suet. alii. — *facundia* I prooem. 23 alere facundiam, vires augere eloquentiae; saepius; cf. Bonn. lex. s. v. Poët. Sall. Vell. Val. Max. Tac. Suet. Gell. alii. — *facundus* IV 2, 2 loquax magis quam facundus; VI 1, 39 X I,65; XII 2,27; 10,44. Varro L. L. Ov. Hor. Liv. Vell. Val. Max. alii. — *fluctuare*. De usu huius verbi v. Schmalz[7], Antib. s. v. Cf. IX 3,7. Ex hoc loco apparet Quintiliano etiam formam deponentialem sive medialem a Livio receptam probari. — *focale* XI 3, 144 fascias et focalia et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo. Hor. sat. II 3, 255. Mart. XIV 142. — *fragor* VIII 3,68 ruentium tectorum; cf. XII 10,24; translate pro plausu[2]) VIII 3, 3. Poët. Auct. ad Her. IV 42. Liv. Plin. mai. et min. — *fragosus* usu poëtico translate; (de oratione) IX 4,7; ibid. 116. — *frustratio* II 20,3 sine frustratione. Plaut. Varro. Liv. alii. — *fungi*: poëtarum more

---

[1]) exigere, t. t. de petendis pecuniis debitis, vectigalibus etc., etiam de aliis rebus iam apud Cic. dicebatur (= poscere). Cf. Fam. XV 16,1; II 6, 1; Att. IV 1,2; Tusc. I 39,93; legg. I 1,4. Qui usus, maxime cotidiani sermonis proprius, paulatim ita evaluit, ut alia verba idem significantia reprimeret. Cf. Wölfflin, Die Aufg. d. l. Lex., Rhein. Mus. 37,105. Apud Quint. *exigere* multo saepius occurrit quam poscere et postulare. Restinuit ille quidem illas locutiones: si res poscet I 10,38; III 1, 19; cum res poscet II 1,12; 4,20; IV 2, 109; IX 3,4; XI 1,1; ubi res poscit X 1,9. Sed etiam sic usurpatur: ut res exiget XII 10,69; cum res exiget V 11,5; X 3,3; cf. cum res postulat IV 3,4; ut res postulabunt II 6,4. Flagitare omnino non invenitur, sed efflagitare: ep. ad Tryph. 1 efflagitasti cotidiano convicio, cf. IV 5,10 cum convicio efflagitat.

[2]) Cf. Iuv. XI 197; Sen. tranq. an. 2,13 nimis diu a plausu et fragore aures vacaverunt.

legitur III 7,10 fato fungi i. q. mori. Item Ov. Met. XI 559 et Val. Max. I 8 ext. 5; V 1,1; VI 1,11; cf. Vell. II 48, 6 morte fungi ut Ov. Met. XI 583. Apud Liv. et Tac. legitur *fato perfunctus*. — *garrulitas* II 4, 15. Ov. Mart. Sen. mai. et min. Plinii; Suet. — *glossema* i. e. vox minus usitata I 8,15. Varro L. L. — *haustus* translate usurpatur XII 2, 31 hinc mihi ille iustitiae haustus bibat. Hor. Verg. Ov. Val. Max. Curt. — *helops* V 10,21. Varro. Ov. — *hinnire*: I 5,72 ne 'balare' quidem aut 'hinnire' fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterentur. cf. VII 3,3. Lucr. Val. Max. alii. — *illotus* est sordidus, immundus: I 4,13 fit a lavando lautus et inde rursus illotus. Plaut. Hor. Plin. mai. Gell. Macrob. Dig. — Verg. Georg. III 443 Bibbeckius scripsit *illautus*, quae forma etiam apud Plautum occurrit; *illutus* invenitur apud Catonem. — *immiscere*: VII 2,26 alienae se familiae . . . immiscuisse; ibid. 3, 5. Poët. Liv. Vell. Curt. Suet. — *immodicus* II 2,5; IV 1,62; IX 4,125 et saepius. Sall. Ov. Liv. Vell. Col. Luc. Plin. ep. Suet. — *immori* legationi IX 3,73. Hor. Ov. Sen. rhet. Plin. N.H. — *immotus* XI 3,79; ibid. 158. Poët. Liv. Vell. Sen. rhet. et phil. Plinii; Col. Tac. — *impatiens* XI 1,16. Verg. Ov. Vell. Val. Max. alii. — *imperitia*: VI 1,37 nam et imperitia et rusticitas . . . afferunt interim frigus. Sall. Plin. mai. Sen. ep. Tac. Gell. — *impervius* XII 11, 11. Ov. Tac. Val. Flacc. — *impingere*: IV 1,61 gubernator, qui navem-impegit. Plaut. Ter. Hor. Cael. apud Cic. Fam. VIII 8, 9. Sen. phil. Plin. ep. Tac. alii. — *improbus* i. q. effusus, ingens: XII 1,13 spes improbae. Poet. Sall. ap. Non. Col. Sen. phil. Plin. ep. Iust. — *implere* te tempore adhibetur: III 1,14 octavum et nonagesimum implevit annum (sc. Isocrates). Hor. Val. Max. Plin. Tac. — *imputare*: XI 3, 33 imputare et velut adnumerare litteras molestum et odiosum. Hoc vocabulum ex sermone mercatorum sumptum esse, id quod notat Schmalz, Antib.[7] I p. 701 s. v. allatis locis ex Col. et Sen., etiam isto loco probatur. V 10,72 caedem alicui imputare.[1]) Ov. Phaedr. Vell. Val. Max. alii. — *inardescere* de affectibus dicitur: XI 3,2 affectus omnes languescant necesse est, nisi voce . . . inardescunt. Ov. Verg. Sen. trag. — *incessere* est aggredi, invadere. VI 3,34. passim; v. Bonn. lex. s. v. Verg. Ov. Liv. Val. Max. Curt. — *inclamare* reperitur etiam pro invocando: XI 3, 172 quasi inclamaret aut testaretur. Cf. Ov. fast. III 756. Gell. XVII 19,3. — *incompositus* est sine ordine: I 5,65; IX 4,32 oratio; ibid. 6 et 17. cf. X 1,66 (Aeschylus) rudis et incompositus; ibid. 2,17 horride et incomposite i. e. ineleganter; IV 5, 10. Verg. Hor. Liv. Val. Max. Curt. Plin. ep. Tac. — *inconcessus* X 2,26. Verg. Ov. — *incredulus* i. q. diffidens X 3,11; XII 8, 11. Hor. a. p. 188. — *increscere* VIII 4,2; XI 3,49. Verg. Ov. Liv. Plin. min. Suet. Iust. Dig. — *indiscretus* I 2,3 iuncta atque indiscreta; cf. X 1,2. Verg. Varro. Cels. Plin. mai. Sen. phil. Tac. — *indurescere* I 3,12. Ov. Col. Cels. Plin. ep. Tac. — *inenarrabilis*[2]) I 5,33. XI 3,175. Liv. Vell. (II 99,2). Plin.

---

[1]) Cf. nostrates: etwas auf jemands Konto setzen.

[2]) Hic afferendus videtur locus ille VI 3,6 'sed motu animi quodam nescio an ⟨in⟩enarrabili iudicatur'. Sic contra codicum consensum scribi vult Spalding, quem secutus est Meister. Recte autem Radermacher in editione sua obtinuit enarrabili. Nam Quint. formula nescio an utitur ad modeste negandum = non,

Sen. Mart. Adverbium inenarrabiliter apud infimos demum scriptores invenitur. Cf. Schmalz, Antib. s. v. Quint. quidem id vitavit X 1,101, ubi legimus 'supra quam enarrari potest eloquentem'. — *infamare* II 15,4; IV 2,129; V 7,1; X 1,74; 1,127. Nep. Col. Pall. Sen. ep. — *ingruere* III 8,22; XI 3,56. Verg. Liv. Col. Plin. Tac. Val. Flacc. V. Archiv. X p. 46 sq. — *inordinatus* I 10,46; VIII 2,23; X 4,1. Liv. Curt. Plin. Cf. Cic. Tim. 7 ex inordinato. — *insenescere* X 3,11 translate exstat: singulis actionum partibus. Hor. Ov. — *inserere* I 7,18; saepe; v. Bonn. lex. s. v. Ov. Liv. Vell. Vall. Max. Plin. min. Tac. Suet. — *insumere operam* III 4,5. Liv. Plin. N. H. Cic. semel hanc locutionem usurpat ablativo absoluto, Verr. III 150 nulla opera insumpta; cf. Quint. IX 3,73 paucis diebus insumptis. — *insurgere* translate de oratione VIII 4,27, alibi. V. Bonn. lex. s. v. Proprie legitur apud poëtas, Tacitum, Plinium min. — *intabescere* XII 10,77. Ov. Hor. Pers. Col. Sen. phil. — *interritus* est non territus I 3,4; V 7,11. Verg. Ov. Vell. Sen. Curt. Plin. min. Tac. — *intertexere* VIII 5,28 intertexta pluribus notis vestis. Ov. Stat. Macrob. — *inumbrare* XII 10,60. Lucr. Verg. Curt. Plin. mai. et min. — *lapidare* VIII 2,5 ut lapidare quid sit manifestum est ita glaebarum testarumque iactus non habet nomen. Cf. Auct. b. Hisp. 22,5. Suet. Flor. — *latitatio* est occultatio (t. t. iur. ut videtur) VII 2,46. Dig. — *laudativus* III 4,12 genus l.; 7,28; 4,16 (materia l.) Amm. III 3,14 absolute legitur laudativa (sc. oratio). — *ligare* V 14,32. Poët. Suet. Gell. — *lilium* VIII 3,8. Varro r. r. Poëtae Plin. mai. Pallad. — *liquare* est purgare XII 6,4. Hor. Col. Plin. mai. — *litterarius* I 4,27 (ludus). Varro. Plin. mai. Tac. Suet. — *lupanar* VII 3,6. Poëtae. — *lusus* i. e. ludus XI 2,38; passim; v. Bonn. lex. s. v. Ov. Liv. Val. Max. Sen. rhet. Mart. Plin. ep. Suet. — *malignitas* V 3,1. Plaut. Liv. Val. Max. Curt. Tac. Suet. — *malignus* IV 1,10; II 2,6; XI 1,24. Poetae. Val. Max. Sen. phil. Suet. — *munare*, verbum poëtis usitatissimum, invenitur de lacrimis XI 3,78. Cf. Liv. Hor. Sil. — *manifestare* est manifestum facere: IX 3,46 sententiam. Ov. poster. (v. Schmalz, Antib. s. v.). — *meare*, vox poëtica, i. q. ire: XI 2,22 in XII signis, per quae sol meat; ibid. 3,16 per quae velut organa meat (sc. aura). Poëtae Plin. Curt. Col. poster. — *meatus*: VII 10,10 spiritus meatum. Lucr. Verg. Plin. mai. et min. Tac. — *membrana* i. e. ad usum scribendi apta materia: X 3,31 nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget. Hor. Pers. Tib. Cat. Mart. Petr. Plin. N. H. poster. — *nothus* est non legitimus III 6,97; VII 7,10. Poëtae. Plin. Col. — *nubilus* i. q. nubibus obductus. Est verbum maxime poëtis usitatum et invenitur poëtarum more etiam apud Val. Max., Plin. mai. et min., Suet. Substantivorum modo legitur Inst. or. XI 3,75 tristitiae quoddam nubilum ducere (de oculis), et pluraliter nubila (Regengewölke) XI 3,27 cf. Plin. pan. 30,3. — *obambulare* est ambulare XI 3,121. Poët. Liv. Suet. — *obticescere* [1]) i. e. conticescere IX 3,61.

---

vix (cf. de interrogationibus obliquis p. 65 sq.) et hic locus simillimus est illius XII 10,76, ubi occurrit 'quaedam vix enarrabili foeditate'. Quare utique standum est lectione enarrabili.

[1]) Deest hoc verbum in lex. Bonn. — Obticentia, vox Celsi, exstat IX 2,54: ἀποσιώπησις, quam Cicero *recticentiam*, Celsus *obticentiam*, nonnulli *interruptionem* appellant.

Hoc verbum apud poëtas, Ter. Hor. Ov. Mart. invenitur et quidem in perfecto fere usurpatum. — *occipitium*: XI 3,160 humeris ad occipitium ductis. Plaut. Cato. Varr. Cels. Plin. Suet. — *offensa* est offensio: IV 2,39 ne minus gratiae praecipiendo recta quam offensae reprehendendo prava mereamur. Alios locos v. Bonn. lex. s. v. Cf. Schmalz, Antib. s. v. Ov. Vell. Plin. min. Tac. Suet. Inst. — *operari* alicui rei est studere: X 3,13 Secundum scholae adhuc operatum. Poëtae. Liv. Val. Max. Col. Plin. mai. Tac. Dig. — *paenitentia* est dolor facti: IX 3,12 paenitentiam agere etc. v. Bonn. lex. s. v. poenitentia. Liv. Val. Max. Sen. rhet. et phil. Curt. Plin. mai. et min. Tac. — *pallescere* I 2,18; XII 10,76. Prop. Hor. Val. Max. (V 7 ext. 1 sec. Halm). Gell. — *patrocinari*: II 4,23 ut non homini patrocinemur, sed crimini. Ter. Bell. Hisp. Plin. mai. Tac. Gell. Dig. — *pauperculus* XI 3,175. Plaut. Ter. Hor. Varro r. r. — *penetralia*, poëtarum vox, translate exstat VI 2,25; XII prooem. 3 ex ipsis *sapientiae penetralibus*. Cf. Stat. Tac. Macrob. — *perdite* i. q. ardenter, temere: II 12,5 conatur perdite. Poëtae. — *perdurare* est usque durare: VIII 3,34 quaedam tamen perdurant. Poëtae. Plin. mai. Sen. phil. Suet. poster. — *perplexus* translate est obscurus: I 5,17 ars culpa quorundam pervicacium perplexa. v. Bonn. lex. s. v. Liv. Plin. mai. Amm. — *perpluere* VI 3,64 intransitive est pluviam transmittere: cum cenaculum eius perplueret. Plaut. — *pessumdare* est perdere: VIII 6,47 locus ex Ciceronis oratione alioqui nobis non nota affertur. Dubitari autem potest, num Cic. hoc usus sit vocabulo. Nam Quint. locos scriptorum e memoria nec semper ad verbum citare solet. At alibi nec apud Cic. nec apud Quint. ea vox invenitur. — *phonascus* II 8,15; XI 3,19; 22. Varro ap. Non. Suet. Sidon. — *plausor* XII 9,4. Hor. Petr. Suet. — *potenter* i. e. efficaciter V 7,37; passim; v. Bonn. lex. s. v. Hor. Val. Max. — *praedicere* [1]) est antea, supra dicere: II 4,24 posterior ex praedictis locus. III 6,89; VIII 3,83; IX 3,66; X 1,74. Liv. Vell. Sen. ep. Plin. mai. Col. Tac. Suet. poster. Priorem usum huius verbi reperimus apud Quint. rarissime, cf. III 7,19 praedicta pernicies; VII 1,30; IV 2,98. — *praedulcis* II 5,22; VIII 3,56. Lucr. Verg. Val. Flacc. Plin. Suet. — *praedurus* I 6,26; VI 4,11; XI 3,69. Poëtae. Col. Plin. mai. Tac. Suet. — *praelongus* VI 3,67; X 3,32. Lucr. Liv. Plin. Tac. — *praeloqui* est praefari IV 1,2; V 13,60. Plaut. Plin. ep. poster. — *praepropere* XII 6,2. Plaut. Liv. Val. Max. — *praepinguis* de voce translate dicitur XI 3,32. Verg. Col. Plin. N.H. — *praetemptare* IV 1,28. Poëtae. Tac. Suet. — *praevalere*: VI 2,9 ad perturbationem, ad benevolentiam; absolute VII 4,19. Apud Liv. et Vell. partic. tantum invenitur, aliae formae apud Phaedr. Stat. Plin. mai. et min. Tac. Suet. — *praeverti* est praecipue verti ad aliquid XII 2,4. Plaut. Hor. Col. Curt. Plin. ep. Tac. — *profectus* i. q. processus I 2,26; v. Bonn. lex. s. v. Varro. Ov. Vell. Val. Max. alii. — *proximitas* i. e. cognatio III 6,95 (bis). Ov. — *publicare* sensu ambiguo

---

[1]) Item legitur *supra dictus* I 5,1; XII 10,7. Gell. Cael. Aur. De Iurisconsultis, apud quos etiam *supra scriptus* invenitur, v. Kalb, Roms Juristen, Leipz. 1890 p. 80 et p. 7. Cf. Quint. V prooem 4 de quibus supra scripsimus; VII 4,15 quae supra scripta sunt.

legitur VII 9,4 i. e. seu vendere seu prostituere: cum quaeritur, utrum aula, quae ter (αὐλητρίς) ceciderit, an tibicina, si ceciderit, debeat publicari. In malam partem etiam Plaut. et Tac. Germ. 19. — *reluctari* I prooem 1; IX 4,7. Poëtae; Curt. Plin. mai. Tac. — *repercutere* VI 3,23; 78; cf. 46: nihil enim quod in lacessendo dici potest, non etiam in repercutiendo. Verg. Ov. Liv. Val. Max. Curt. Plin. ep. Tac. Amm. — *repertor* (legum) II 16,9. Poëtae; Varro. Sall. Cels. Plin. mai. Tac. alii. — *replicare* proprie est complicare, contrahere: XI 3,81 labra. Cato. Plin. mai. Sen. phil. Arnob. — *repudiare* uxorem i. e. divortium facere IV 2,98; VIII 5,31. Paccuv. ap. Non. Plaut. Ter. Suet. De usu poëtarum v. Schaumberger [1]) p. 326 s. v. — *respectus* translate pro ratione adhibetur, ut apud Ov. Phaedr. Liv. Val. Max. Apud Quintilianum reperitur 'sine respectu pudoris' VI 3,25 cf. Sen. contr. III 23,2 sine ullo respectu pudoris. Praeterea Inst. or. XII 9,11 respectu communium officiorum. — *resultare*: 1. exstat proprie = resilire XII 2,11 aquae obiectu lapillorum resultantes, cf. Lucr. Verg. poëtae alii. Plin. mai. 2. translate de oratione dicitur IX 4,66 Mediis (sc. verbis sententiae) cura sit, . . . ne brevium contextu resultent ac sonum reddant puerilium crepitaculorum; ibid. 83; XI 3,183. Plin. ep. VIII 4,3. — *resumere* est denuo sumere X 1,20: perlectus liber utique ex integro resumendus. ibid. 4,3 quotiens librum in manus resumpserunt. Ennius apud Varr. L. L. Ov. Plin. ep. et pan. Tac. Suet. — *resupinare* est supinum facere XI 3,80: plana manu resupinare nares. Poëtae. Liv. Cels. Vitr. Plin. mai. Sen. ep. — *retendere* i. q. remittere I 3,8: ea quoque, quae sensu et animo carent . . . velut quiete alterna retenduntur. Poëtae. — *rictus* I 11,9: ne immodicus hiatus rictum distendat. Varro. Poëtae. — *rotare*, vox poëtis usitatissima, legitur XI 3,71: comas excutientem rotare fanaticum est. — *saxosus* V 10,21. Poëtae. Plin. mai. Col. — *scarus* (piscis quidam) V 10,21. Poët. Plin. Col. — *scholasticus* est ad scholam pertinens: IV 2,97 et 92; XI 1,82; IV 2,30; VII 1,14. Varro ap. Non. Tac. Plin. min. Gell. De hominibus: XII 11,16 dum scholastici sumus i. e. discipuli. Haec significatio reperitur etiam Plin. ep. II 3,5. Tac. Dial. 15. Poster. — *secretus* significat 1. semotus XI 1,47 locus s. Cf. II 18,4 ex secretis studiis. Hor. Ov. Mart. Petr. Tac. 2. non obvius: IX 3,5 figurae s.; I 1,35 lingua. 3. reconditus I 1,29 litterae. Poëtae. Plin. min. Tac. Flor. — *senescere* de eo dicitur, qui nimis diu in re aliqua moratur: VIII prooem. 18 quodam inani circa voces studio senescunt. Liv. V 43,7 dis hominibusque accusandis. — *sensus* est vis, significatio: VI 3,48 verba duos sensus significantia; VIII 2,16; 20 occultos sensus habere; ibid. 6,44 aliud verbis, aliud sensu ostendere. Hor. Ov. Phaedr. Val. Max. Sen. Tac. — *sericus*: XII 10,47 toga serica. Poëtae. Plin. mai. Tac. Flor. Dig. — *signator* V 5,1; v. Bonn. lex. s. v. Sall. Val. Max. Suet. Dig. — *simplicitas* translate usurpatur pro sinceritate animi: IV 2,57 illa callidissima simplicitatis imitatio. Cf. V 7,24; XI 1,21; IX 4,21. Ov. Liv. Vell. Val. Max. Eccles. — *situs* est squalor I 2,18; X 1,30; XII 5,2, Poëtae. Sen.

[1]) M. Schaumberger, De P. Papinio Statio verborum novatore. Halis Saxonum 1907.

phil. Plin. mai. et min. Col. — *socordia*: I 2,5 si non caeca ac sopita parentium socordia est. Plaut. Ter. Auct. ad Her. II 23,35; Liv. Curt. Tac. — *sordere* alicui est vilem aestimari, contemni ab aliquo: VIII prooem. 26 nos melius, quibus sordet omne, quod natura dictavit. Poëtae. Liv. Plin. Curt. — *spatiosus* i. e. magnus, amplus. IX 4,136; XI 2,18. Verg. Ov. Val. Max. Vitr. Cels. Col. Plin. — *speciosus* i. q. formosus V 10,47; passim; v. Bonn. lex. s. v. Hor. Ov. Vell. Sen. ep. Cels. Petr. Adv. speciose II 5,9; IX 4,8; ibid. 14; VIII 6,18. Auct. b. Afr. Hor. Liv. Vell. Val. Max. Col. — *squalidus* VI 1,30. Poëtae. Liv. Plin. ep. Tac. — *strangulare* est spiritum intercludere XI 3,140. Legitur translate VIII prooem. 23 sensus obumbrare et velut laeto gramine sata strangulare. Cf. XI 3,20 vocem Val. Max. Col. Plin. mai. Stat. — *summa* de pecunia ponitur V 10,19 propter exiguam summam; ibid. 117 totius summae creditorem. Ter. Liv. Val. Max. Sen. Plin. Suet. Apud Quintilianum summa etiam cumulum (et perfectionem) significat, cf. I 1,19; saepe; v. Bonn. lex. — *summus* i. q. extremus VI 4,22 ut potentissima prima et summa ponantur. Cf. IV 2,112; X 1,21; VIII 5,11; X 1,97: summa in excolendis operibus manus (v. Cic. Brut. 126: manus *extrema* non accessit operibus eius; Ov. Met. VIII 200 et XIII 403 manum *ultimam* imponere rei). — *superimponere*[1]): I 1,27 manum. Poëtae. Liv. Cels. Col. Plin. mai. — *supervacuus* persaepe apud Quintilianum legitur (v. Bonn. lex.), nusquam supervacaneus, id quod documento est illius elocutionem multum debere poëtis. — *supinare* est supinum collocare: XI 3,100 manus modice supinata; ibid. 119. Poëtae. Sen. ep. — *tenuare* est tenuem facere: XI 3,19 vocem, cf. 3,82; II 10,6. Vox a poëtis, imprimis Ovidio, valde amata, quia tĕnŭare facile rhythmis hexametri accomodari potest. Praeterea cf. Sen. n. qu. Tac. — *tepere* de affectibus dicitur, i. e. calorem remittere: VI 1,44. Sic. Ov. rem. am. 7 — *tinnitus* XI 3,31: aera tinnitu dinoscimus. Verg. Ov. Plin. mai. Sen. phil. alii. — *tinnulus* i. q. tinniens, acute resonans: II 3,9 tumidos et corruptos et tinnulos et quocumque alio cacozeliae genere peccantes. Ov. Cat. Sen. Troad 833. Stat. — *tumidus* 1. pro tumente translate legitur de oratore et de oratione: II 3,9; VIII 3,18;[2]) X 2,16. compar. XI 1,28; XII 10,2. Liv. Sen. rhet. Plin. ep. Tac. Gell. 2. pro inflato, elato superbia. Cf. XI 1,50 tumidum ac sui iactantem e. q. s. — *tussire* XI 3,56. Poëtae. Plin. mai. — *tumultuarius* est raptim effectus: VII 3,34 opus. Liv. Suet. Gell. alii. — *ultio* V 13,6: voluptas ultionis; VII 4,33. Liv. Vell. Val. Max. Sen. phil. Tac. Suet. alii. — *umbraticus* i. q. umbratilis: I 2,18 velut umbr. vita. Poetae. Curt. Sen. phil. Plin. ep. — *vapulare* i. e. verberari I 3,16; IX 2,12; 3,7. Poëtae Val. Max. Sen. rhet. — *varicare* est varis cruribus ire XI 3,125. Varro L. L. — *vasculum* I 2,28; VII 10,9. Plaut. Cato. Iuv. — *venerabilis* i. q. venerandus XII 1,18. Poëtae. Liv. Val. Max. Tac. — *ventosus* propie reperitur: XI 3,27 ventoso die. Poëtae. Liv. Col. Plin. — *venus* i. e. venustas, decor: VI 3,18 cum gratia

---

[1]) Schaumberger l. c. p. 326 adnot. hoc verbum iure dicit compositum esse, quamquam multi editores distrahant.

[2]) Schmalz, Antib.[7] II p. 682 falso citatur VIII 3,13.

quadam et venere; X 1,100 illam solis Atticis consessam venerem; plur.: ibid. 1,79 omnes dicendi veneres. Plaut. Hor. Plin. Sen. phil. At XI 3,19 venus est amor: veneris abstinentia. Poëtae. Varro. Tac. — *versificare* est versus facere IX 4,143. Lucil. apud Non. Amm. — *versificatio* IX 2,35; 4,116: quem in poëmate locum habet versificatio, eum in oratione compositio. Col. — *versificator* X 1,89. Iust. — *vertex* est contorta in se aqua VIII 2,7. Poëtae. Liv. Val. Max. — *vigor,* vox poëtica, semel exstat apud Quint. XI 2,3: mentis vigore. Virg. Hor. Ov. Vell. Val. Max. Curt. Sen. Plin. — *vivax* II 6,3: si qui paulo sunt vivaciores . . . etiam irascuntur admonitioni. Poëtae. Gell.

§ 2.

Vocabula Quintilianea, quae ea demum aetate quae vocatur argentea in usum venisse videntur.

abdicatio est exheredatio III 6,77; saepius, v. Bonn. lex. s. v. Val. Max. Sen. rhet. Plin. mai. Suet. — *abolitio* est oblivio rerum praeteritarum (Amnestie) IX 2,97. Sen. rhet. Flor. alii. — *adlocutio* t. t. IX 2,37. Sen. rhet. Plin. ep. Suet. alii. — *admirator* II 5,21; IX 2,46. Vell. Val. Max. Phaedr. Sen. phil. Tac. — *adstipulatio* est summa assensio XI 3,175. Plin. mai. alii. — *adumbrare* est adumbrando aliquid efficere (σκιαγραφεῖν) VII 10,9. Val. Max. alii. — *annotare* I 4,17; II 5,7; saepe; v. Bonn. lex. s. v. Val. Max. Col. Plin. ep. Tac. (Cf. Schmalz, Antib. [7] I p. 170). — *antidotus* VII 2,25 [1]) (cf. I 10,6 ἀντιδότους). Cels. Phaedr. Plin. mai. Suet. Gell. Dig. — *auctor* argentea demum aetate pro scriptore legitur, ut apud Sen. ep. 2,2, Tac., Plin. ep., Suet. multosque posteriores. Apud Quintilianum occurrit haec significatio creberrime, ut ep. ad Tryph. 1; I 5,11; 8,8. v. Bonn. lex. s. v. — *austeritas*, vox argenteae aetatis et usitatissima Plinio in N. H., translate de moribus hominum invenitur Sen. de ira I 20,2, tum in Instit. or. II 2,5: non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas. Cf. Plin. ep. II 5,5, ubi opponitur frontem remittere. — *aversatio* est aversus animus, odium VIII 3,65. Sen. phil. Tert. — *beatus* = abundans translate de rebus primum apud Val. Max. legi videtur; nam II 6,8 scriptum est: *quasi beato quodam* eloquentiae fonte; cf. Inst. or. X 1,61 b. rerum verborumque copia; V 14,31 beatissimi amnes; X 1,109 beatissima ubertate; ibid. 3,22; XI 3,40. Sen. rhet. et phil. Plin. ep. Tac. — *breviare* XI 3,83 breviatur cervix; at de dicendo vel scribendo I 9,2; V 13,41; t. t. gramm. XII 10,57 syllabam. Manil. poster. — *cacozelia* II 3,9 (cf. cacozelos VIII 3,56). Sen. rhet. alii. — *caelatura* est 1. ars caelandi II 21,9 c., quae auro, argento, aere, ferro opera efficit; cf. 4,7. Plin. mai. Dig. 2. opus caelatum II 17,8: in cael. clipei Achillis et lites sunt et actores. Plin. mai. Sen. ep. Suet. alii. — *caligare* i. q. occaecatum esse: I 2,19 caligat in sole et omnia nova offendit. Cels. Plin. mai. Sen. Poëtae. — *calor* translate usurpatur ut ardor, fervor: II 15,28 iuvenilis; cf. VIII prooem. 27; X 3,6; ibid. 3,17 c. atque impetus; XI 3,146 c. concitatioque;

---

[1]) In Thesauro l. L. exstat falso: VII 2,5.

3,130 c. dicendi (cf. c. dicentis Plin. ep. IV 9,11; II 19,2; paneg. 3); de amore VI 2,15 c. alienus. Val. Max. Sen. phil. — *chria* I 9,3. (Incertus locus II 4,26). Sen. ep. — *clamosus*: [1]) VI 4,15 turbidus et clamosus altercator. V 13,2 recta atque, *ut sic dixerim,* clamosa actio. Haec passiva significatio apud Quintilianum primum occurrere videtur; cf. Juv. Aur. Apul., sed activa legitur etiam apud Sen. dial. III 4,2, Juv. Cat. aliosque poëtas. — *cognominare* IV 1,2 (sic Radermacher sec. Cass. p. 501). Plin. mai. Gell. Just. alii. — *commilitium* V 10,111. Vell. Plin. ep. Tac. Flor. *compositus* est 1. fictus: VIII prooem. 23 ficta atque composita; cf. Val. Max. VII 4,2. Tac. Gell. 2. lenis, remissus: XI 3,110 actio c.; VI 2,9 affectus mites atque c. Sen. phil. Tac. alii. — *computatio* I 10,35: si digitorum incerto aut indecoro gestu a computatione dissentit; Sen. phil. Plin. mai. et min. Col. Dig. — *concitatus* dicitur de animi habitu: III 9,7 animus, VI 2,9 affectus, cf. XI 3,162; oratio III 8,58; 60, cf. XII 9,3; X 1,44; XI 3,175; 1,3; compar. VIII 3,14; v. Bonn. lex. s. v. concitare Val. Max. (velut IV 6 prooem; V 1 ext. 2; VIII 7 ext. 1; VIII 10,1). Sen. rhet. — *confingere*: XII 3,12 frontem. Cf. Plin. mai. — *confusio* est animi perturbatio III 6,29; X 7,5; XII 5,3; 10,35. Vell. Val. Max. Plin. min. Tac. — *conversatio* i. e. usus, consuetudo I 2,4; VI 3,17. Vell. Sen. rhet. et phil. Tac. — *corrotundare* XI 3,102. Sen. n. q. Petr. — *cuneare* IV 3,4. Plin. mai. Sen. ep. — *curiosus* idem fere valet quod diligens, sed in malam partem: 1. active ut apud Cic. aliosque I 8,21; XI 3,143. Cf. VIII 3,55: ut a diligenti curiosus distat et a religione superstitio. 2. passive: VII 5,2. Val. Max. Cels. — *decennis* est decem annorum VIII 4,22. Petr. Mart. Pall. Flor. Dig. (Cf. Schmalz, Antib. s. v. decennalis) — *decretorius*: VI 4,6 pugna; X 5,20 decretoriis (sc. armis) exerceatur. (cf. κρίσιμος). Sen. phil., alii. V. Nägelsbach-Müller, Lat. Stil.⁹ p. 283 sq. adnot. — *deformiter* translate usurpatur VIII 3,45 sonare; X 1,82 dicere; XII 3,2. Val. Max. Suet. — *delator* III 10,3; IX 2,74 (cf. Spald. ad h. l.). Juv. Tac. Plin. paneg. Suet. — *derisus* est irrisio, illusio VI 2,15; 3,7; VIII 6,59; XI 3,80. Val. Max. Sen. rhet. Phaedr. Tac. Suet. — *digerere* i. q. concoquere: X 1,19; XI 2,35. Cels. Sen. contr. 1 prooem. Eodem sensu reperitur, ut iam apud Ciceronem, subst. digestio XI 3,19; facilis ciborum digestio i. e. frugalitas. — *egressus* i. e. digressio: IV 3,12 hanc partem παρέκβασιν vocant Graeci. Val. Max. Tac. — *emancipare* est vendere, cedere possessione: VI 3,44 paterna praedia. Val. Max. VIII 6,3: dimidiam partem; Plin. ep. X 3,3 fundos; Suet. Oth. 4 agrum. — *enervis* i. q. sine nervis, enervatus: IX 4,142. Val. Max. (locos collectos vide Ungewitter, De Vellei Paterculi et Valeri Maximi genere dicendi, Donauwörth 1904, p. 12). Sen. rhet. et phil. Petr. Plin. min. Tac. — *evagari* est digredi in oratione II 4,32; III 6,3; 11,25, Val. Max. (V. Schmalz, Antib. s. v.). — *evigilare* proprie est expergisci: IX 4,12 et cum evigi-

---

[1]) Cf. Thielmann, Blätter f. d. b. Gymn.- und Realschulwesen 1880 (XVI) p. 209: „clamosus, eine erst im silbernen Zeitalter auftretende Bildung, hat Kayser bei Corn. 3,23 jedenfalls mit Recht getilgt". At Thes. l. L. s. v. clamosus citat hunc locum!

lassent — et cum somnum peterent. Stat. Theb. X 121 et silv. V 3,128. Pseudo-Quint. decl. mai. II 19. Plin. ep. Suet. Apul. — *excrescere* IV 1,62. Cels. Col. Plin. mai. Lucan. Tac. Suet. Dig. — *exilitas* de voce legitur: I 11,1; ibid. 4; XI 3,19. Val. Max. (Cic. de oratione). — *expositus* est tritus, vulgaris X 5,11: voluptatem expositis dare; cf. II 5,19. Stat. Juv. Plin. ep. (Lucan.). — *expugnare* propria significatione semel tantum exstat XII 9,2 civitates expugnandae. Reliquis locis translate usurpatur: XII 1,33 nisi aliquando vis ac facultas dicendi expugnat ipsam veritatem; cf. XI 1,87; VII 1,45; III 8,32. Liberiore usu expugnare etiam invenitur pro verbo oppugnandi V 14,20 aut expugnatur intentio aut assumptio e. q. s. Legitur haec verbi vis Stat. Theb. VI 7,79. Poster. (cf. Schaumberger l. c. p. 320 s. v.). — *exsecutio* loci V 13,27. Sen. ep. Plin. ep. — *extemporalis*: Haec vox usitatissima fuisse videtur in scholis rhetorum, ubi brevitatis causa non pauca vocabula formata sunt, quae ad res commode apteque significandas opus erant. Sic apud Quintilianum illud adiectivum multis in locutionibus occurrit: IV 1,54 e. oratio cf. XI 2,3 (Cic. de or. I 33,150 subito dicere; ibid. subita et fortuita oratio). Cf. Plin. ep. I 20,10. Similiter: X 7,16 actio; 7,73 successus; II 4,15 garrulitas; ibid. 27 dictiones; X 6,5 color; 6,18 facilitas. Et quod ex tempore dicere veteribus quasi quaedam audacia temeritasque fortunae subiecta videbatur, legimus X 6,1 extemporalis fortuna; 6,6 e. temeritas; cf. Tac. Dial. 6 extomporalis audaciae atque ipsius temeritatis.[1]) Mart. V 54 ext. rhetor; Suet. — *exundare* i. e. abundare, redundare: X 1.109 Quint. vertit ex Graeco (locum Pindari nobis alioqui non notum): vivo gurgite exundat (sc. Cicero). Sen. phil. Tac. Poëtae. — *favorabilis*[2]) crebro invenitur 1. passive pro gratioso, cf. X 5,21 maxime favorabilia decerpunt. 2. active: iucundus ac favorabilis XII 10,74. Vell. Val. Max. Sen. ep. Plin. ep. Tac. alii. — *fluxus*: VII 9,8 fit per fluxum idem (siquidem lectio vera). Plin. mai. Tert. (incert. Sen. ep. V 12,12). — *gesticulatio*[3]) est gestus XI 3,183. Val. Max. II 4,4. Tac. Suet. Apul. — *gustus* translate dicitur pro sapore VI 3,17; VI 5,1: nec magis arte traditur quam gustus aut odor; cf. V 8,1 gustu cuiusdam apud Lotophagos graminis; huic loco ambiguus sensus subest gustandi et saporis. Cels. VI 8,6; v. Schmalz, Antib. s. v. — *hortatrix* XI 3,103. Stat. Theb. IX 717. (Hoc vocabulum omisit Schaumberger l. c. p. 260). — *iactator* i. q. ostentator XI 1,17 (Cicero) rerum gestarum maior quam eloquentiae iactator. Stat. Sil. Suet. Gell. alii. — *illaboratus* est non (e)laboratus: IV 1,60 oratio; X 1,111; XII 2,2 virtutem . . . obviam et illaboratam habeamus; 10,79 fructus illaborati offerunt sese. Sen. ep. 90,40: terra illaborata = inculta. — Nec deest apud Quintilianum *laboratus*, partic. pass. poëtis usitatum. Cf. Schmalz, Antib.[7] II p. 3 (s. v. laborare),

---

[1]) John ad h. l.: temeritas ist fast t. t. für das Improvisieren. Sen. contr. III praef. 6: cum illi (sc. Cassio Severo) tam bene temeritas cederet.

[2]) Cf. Quint. VIII 3,34 'favorem *Cicero novum* credit: nam in epistola ad Brutum eum, inquit, amorem et eum, *ut hoc verbo utar, favorem* in consilium advocabo'.

[3]) A. Marty l. c. p. 49 hoc vocabulum apud Quintilianum primum exstare perperam affirmat.

qui negat hoc partic. inveniri nisi apud poëtas, velut Vergilium. Sed legitur Instit. or. XII 6,5: laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit. Item IX 4,144 ne laborata videantur. (Verg. Ov. Mart.) — *imaginari* i. q. animo fingere IX 2,41; 42; XII 1,21 im. ac fingere. Sen. ep. Plin. mai. et min. Tac. (ann. XV 69). Suet. (sequente accus. c. infin.) Caes. 81. — *immorari*: II 16,6 ne terrenis immorer; (cf. Vell. I 7,2 dum in externis moror.) XI 2,4 in hoc. Val. Max. Colum. Cels. Sen. Plin. mai. et min. poster. — *immutescere* i. q. obmutescere X 3,16. Stat. Theb. V 542 et VI 185. — *impossibilis*: V 10,18 i. est; 13,24 impossibilia aggrediantur; cf. possibilis. V. Schmalz, Antib.[7] s. v. Poster. — *inaequalis*: I 10,41 triangula inaequalibus lateribus; VIII 5,29 inaequalia (de oratione). Hoc adiect. iam apud Hor. et Ov. reperitur, argenteae aetatis autem est substantivum *inaequalitas* XI 3,43; 44; 79; XII 9,17. Col. Plin. mai. Gell., t. t. gramm. ap. Varr. L. L. 9,1. — *inarescere* VI 6,27. Cels. Col. Curt. Vitr. Plin. mai. Tac. Pall. — *incomparabilis*: I 2,11 magister. Plin. mai. poster. — *incomprehensibilis*: IX 1,12 incompr. praecepta i. e. quae mente comprehendi non possunt. Cels. I praef. 6. cf. Sen. ep.; et Plin. ep. I 20,6 in disputando incompr. et lubricus (v. Schmalz, Antib. s. v.); cf. inexpugnabilis apud Quintilianum. — *inconveniens* I 5,51. Phaedr. III 13,6; v. Schmalz, Antib. s. v. inconvenienter. — *incorporalis* est sine corpore V 10,116. Sen. ep. poster. — *incrementum* 1. proprie i. e. progressio XI 2,41; X 6,3; V 10,33; 71; 72. V. Bonn. lex. s. v. Vell. Curt. Suet. alii. 2. translate de oratione VIII 4,28 (oppos. minutio); VIII 4,3. — *indecens* X 2,19; XI 1,82; 3,158. Vitr. Mel. Sen. rhet. Mart. Petron. alii. — *indecenter* I 5,64; superlat: VIII 3,45. Sen. ep. Mart. Petron. — *indistinctus* est confusus VIII 2,23 inordinata aut indistincta; XII 10,39 acutus et < non > indistinctus (sc. M. Tullius). Cat. Tac. ann. VII 8. Gell. — *indubitabilis* IV 1,55; 5,13. Stat. poster. Crebrius legitur apud Quint. — *indubitatus* I 1,31; 6,33; V 9,2; 10,19; 74; 14,32; VIII 5,7; IX 4,2. Sen. Plin. mai. Stat. Juv. alii; cf. Schaumberger l. l. p. 292 s. v. Invenitur denique *indubius* V 13,24 sicut Tac. ann. XIV 44. — *inemendabilis* I 1,37; XI 3,12. Val. Max. VII 2,2. Sen. phil.[1]) — *inexplicabilis* est quod solvi, explicari non potest. V 14,32 inexplicabili serie conectere; V 10,101 laquei; VIII 6,1 pugna. Curt. Plin. Hoc adiectivum iam apud Cic. invenitur Acad. II 29,95. — *inexpugnabilis* translate usurpatur de rebus eodem fere sensu ac Plin. ep. I 20,6 adhibet incomprehensibilis; cf. V 10,44 probationes inexp.; VII 3,18 finitiones. Similiter dicit Val. Max. de inexp. taciturnitate IV 7,7; constantia IX 15 ext. 1. — *infantia* apud Ciceronem dicitur de iis, qui carent facultate dicendi (velut Att. IV 16,9) cf. Instit. or. VI 1,32 et cum pleonasmo V 13,38: infantia in dicendo. — Quint. autem infantiam etiam dicit aetatem infantis: I 1,19 quantum in infantia praesumptum est temporis adulescentiae acquiritur; I prooem. 5; I 1,21; 2,6. Val. Max. (cf. Ungewitter l. c. p. 56). Plin. Tac. Suet. — *ingressus* i. e. initium X 1,48 operis; in ingressu-prooemio

---

[1]) cf. Rauschning, De latinitate L. Ann. Senecae philos., Königsberg 1876, p. 36, ubi perperam affirmatur non ante Senecam inveniri hoc adiectivum.

IV 1,28; VIII prooem 7: in ingressu et fine; IX 4,72; IV 2,112: in primo statim rerum ingressu (oppos. in summa parte actionis); IV 1,1 ante ingressum rei; II, 4,1. Val. Max. Vitr. Exstat usus Ciceronianus: I 3,1 habitus et ingressus; XI 3,112. — *inhorrescere* i. e. perhorrescere IX 4,126. Sen. Curt. Tac. — *inimitabilis* I 10,7; II 16,16; 17,2; VIII 3,25. Vell. poster. — *innocenter* VII 4,18. Plin. Tac. — *inquietare*: IX 3,80 nares digito inquietare. Col. Sen. phil. Plin. Suet. poster. — *insalubris* III 2,3. Curt. Col. Plinii duo; Gell. — *inscriptus* est non scriptus (t. t. iur.); legitur III 6,37 alia esse scripta, alia inscripta; etiam VII 4,36 nunc legitur (sec. Capperonnier) inscripti maleficii e. q. s. Cf. Sen. exc. contr. 5,1; 3 praef. 7. Pseudo-Quint. Decl. 252. 344. 370 *(ἄγραφον ἀδίκημα)* — *insecabilis*: II 17,38 corpora insecabilia cf. III 3,13. Vitr. II 2,12. Sen. ep. XX 1,17: aliquid difficulter secari cogitavimus: novissime crescente difficultate insecabile inventum est. — *inspoliatus* est non spoliatus VII 1,33 quia (homo) inspoliatus est. Sen. contr. 10,30: insp. pauper inventus est. (At Verg. Aen. XI 594 arma inspoliata = non rapta). — *institor* translate exstat VIII 3,12 i. eloquentiae; item XI 1,50. Cf. Val. Max. institores libidinis VI 1,6. Sen. ep. V 12,15. — *insultatio* [1]) est irrisio VIII 5,11, nisi aliter accipi vis. Val. Max. Flor. — *intellectus* pro intellegentia ponitur I 2,27; II 5,18; 5,21 vim intellectu consequi intellegere. v. Bonn. lex. s. v. Vell. Val. Max. Sen. Plin. Tac. — *irrationalis* est rationis expers II 16,16; VII 3,3; 3,23; VIII 6,13; X 7,11. Sen. ep. XX 1,14; Cels. Cf. Schmalz[7], Antib. s. v. irrationabilis. — *licentiosus* I 6,23. Sen. exc. contr. 6,8. Apul. August. — *litteratura* temporibus Quintiliani iam in usum venerat (pro litteris) cf. II 1,4 grammatice quam in Latinum transferentes litteraturam vocaverunt. Cf. II 14,3. Sen. ep. V. Schmalz, Antib.[7] s. v. — *mango* II 15,25: mangones, qui colorem fuco et verum robur inani sagina mentiuntur (sc. eorum, quos vendere volunt). Sen. ep. Plin. mai. Suet. alii. — *mentionem habere* legitur IV 2,19; V 7,32; VIII prooem. 13; IX 2,63; XII 11,16. Haec locutio iam exstat Liv. 38, 56,7; imprimis autem in usu est apud Vell. Val. Max. alios. — *mixtura* translate usurpatur I 10,6; V 11,22; VI 3,63; IX 3,40. Val. Max. Suet. — *multiplicatio* VIII 4,27 t. t. reth. Proprie apud Vitr. Col. Sen. ep. — *naturalis* pater III 6,96. Jam Liv. 44,44,2; Vell. II 112,7 (n. avus). Val. Max. VII 7,2; Suet. De usu Cic. cf. Nägelsbach-Müller[9] p. 307. — *neglegens* dicitur etiam de eo, quod, neglegitur II 4,13 (stilus); X 7,28 (sermo); XI 3,147 neglegentior amictus; cf. Sen. ep. I 5,1 neglegentior barba. — *normalis* est ad normam derectus XI 3,141 (sinistrum bracchium) quasi normalem illum angulum faciat. Manil. II 289 normalis virgula; Boeth. — *notarius*: VII 2,24 neglegentia excipientium in quaestum notariorum corruptae (sc. actiones). Sen. Apocol. 9; Mart. X 62,4 n. velox; Manil. IV 197; Plin. ep. IX 36 poster. — *numerosus* proprie est amplus, multus. Haec significatio primum apud Valerium Max. exsistere videtur III 2,24; cf. Quint. V 10,10 numerosius opus; XI 2,27 locus-tam numerosus, ut ipse quoque dividi debeat; XII 11,12; v. Bonn. lex. s. v. Val. Flacc. Col.

---

[1]) Deest in lex. Bonn.

Mart. Plin. mai. et min. Tac. — At VIII 6,64 *sermonem numerosum facere* legitur i. e. apte fluentem, sicut apud Cic., cf. IX 4,56; XI 1,33. — *obiurgare* semel eadem vi legitur ac ferire X 3,21 femur et latus (sic Meister sec. Bursian). Sen. phil. Pers. Petr. Suet. — *observabilis*[1]) IX 1,20 aversae tectaeque manus (i. e. ictus in arte gladiat.) minus sunt observabiles. Sen de benef. IV 23,1; Apul. poster. — *offensatio* XI 3,130: offensatione hastae commoneri. Plin. mai. — *organum* est instrumentum artis musicae quoddam: I 10,25; IX 4,10 organorum soni; XI 3,16 velut org., ubi nostrates dicunt Sprachorgan. Eadem comparatio subest: XI 3,20 fauces convulsae fractis sunt organis similes, cf. XI 3,40; XI 3,169 'vox paene extra organum' idem fere valet quod Graeci vocant πλημμελές. Translate occurrit I 2,30: quo generosior celsiorque (sc. animus) est, hoc maioribus velut organis commovetur. Vitr. X 8,4. Iuv. Suet. poster. — *oscitatio* per metonymiam de pronuntiatione ipsa dicitur XI 3,3: ne (iudex) ipse nostra oscitatione solvatur. Stat. silv. IV 9,20. — *pancratiastes* est victor pancratii II 8,13. Plin. N. H. Gell. — *pandare* i. q. curvare, flectere XI 3,100 manus leviter pandata; ibid. 122 pandant posteriora. Col. Plin. mai. — *parabola* VI 3,59; VIII 3,77. Sen. ep. — *peculiariter* i. e. praecipue, singillatim. I 2,16; VIII 2,8 quod commune est et aliis nomen, alcui rei peculiariter tribuitur; XI 3,130. Plin. mai. Mart. — *plasma* i. e. flexiones vocis I 8,2. Pers. — *pluraliter* I 5,16; 6,25; VIII 3,35; 6,28; IX 3,20. Sen. n. qu. II 56. — *possibilis* III 8,25: δυνατόν, quod *nostri* possibile vocant. Dig. v. Schmalz, Antib. s. v. impossibilis. — *praecultus* translate idem significat quod ornatissimus, cf. XI 1,31 et Stat. Theb. II 297. — *praemollis* IX 4,65. Plin. mai. — *praetenuis* translate: XI 3,41 sonus. Cf. Plin. mai. Auson. — *professor* est qui artem profitetur: I prooem 15; II 11,1; 15,36; X 5,18; XII 11,20. Val. Max. Cels. Col. Sen. Plin. ep. Suet. alii. — *prosa* oratio, ut ap. Col., Sen. ap. Gell., Plin. min., Suet, invenitur I 5,18; X 1,81; XI 2,39. Crebrius autem occurrit prosa non addita voce orationis: I 8,2; VIII 6,17; 20; 35; X 7,19; IX 4,52. Gell. Auson. — *proventus* i. e. multitudo: XII 10,11 oratorum ingens pr. Val. Max. Sen. phil. Plin. ep. Lucan. — *pulsus* venarum VII 10,10. Val. Max. Plin. mai. Tac. ann. VI 50. — *refectio* idem fere est quod relaxatio X 3,26: tempora . . . ad quietem refectionemque nobis data. Cels. Plin. mai. et min. Amm. — *remandere* translate dicitur XI 2,41 taedium illud scripta et lecta saepius revolvendi et quasi eundem cibum remandendi. Plin. mai. — *repraesentatio* est evidentia *(ἐνάργεια)* VIII 3,61. Val. Max. Plin. Gell. — *resolvere* est primum quasi a vinculis liberare: VI 1,30 vulnera resolvi; ibid. 49. Ov. Cels. Stat. Deinde tollere, irritum facere: V 13,12 diversa dicta; VII 9,14 amphiboliam. Poëtae. Tac. hist. IV 65 vectigal et onera commerciorum. Tum relaxare: IV 2,19 ad resolvendos (sc. iudices) aliqua urbanitate. VIII prooem. 12 concitari, placari, resolvi iudices. Cf. Tac. hist. I 51 severitatem disciplinae. — *retiarius* i. e. gladiator rete ferens VI 3,61. Val. Max. Suet. — *retro agere* est retro trac-

---

[1]) Marty l. c. p. 50 perperam hoc adiectivum apud Quintilianum primum exstare affirmat.

tare, vertere XI 3,160 capillum; I 1,25 litteras rursus r.; XII 2,10 ordinem; II 4,15 expositionem; IX 4,81 dactylus retroactus = anapaestus; V 10,77. Plin. Sen. Mela. — *salebrosus* translate est asper, horridus: XI 2,46 s. oratio. Sen. phil. Mart. Sid.; proprie iam apud Ovidium occurrit. — *secessus* est solitudo X 3,28; translate X 5,16 M. Tullius . . . in hos quoque studiorum secessus excurrit.[1]) Cf. Verg. Ov. Val. Max. Plin. Tac. Suet. — *semis* est dimidia pars VII 1,62: etiam si uterque totum sibi vindicaret, nunc utique, cum alter semissem, alter universa fratre excluso. Plin. mai. Petr. — *specialis* III 5,9; 6,22; V 7,35; 10,43. Sen. ep. Dig. adv. specialiter III 6,103 V 7,5. Cels. Col. poster. — *statuarius* est statuarum artifex II 21,1; 10. XII 10,7 (sic emendavit Christ). Plin. mai. Sen. ep. — *stigma* est signum, quo servus notatur: VII 4,14 si quis fugitivo stigmata scripserit. Vitr. Sen. Plin. Petr. Suet. Macrob. — *studere* frequentissime apud Quintilianum absolute dicitur, velut XI 2,7 Demosthenes diligenter apud Andronicum hypocriten studuit v. Bonn. lex. Cf. Sen. rhet. et phil. Tac. Plin. min. Suet. alii (cf. Schmalz, Antib. s. v.). — *stuprator* IV 2,69; VII 4,42. Sen. trag. Suet. Apul. — *subnectere*, verbum poëticum, i. e. adnectere translate de oratione adhibetur III 3,5 inventioni iudicium subnectere cf. VII 10,7. Val. Max. Iustin. — *substantia* est vis, natura I prooem. 21 ipsa rhetorices substantia. V. Bonn. lex. s. v. Sen. ep. Frontin. — *sudarium* est linteolum ad detergendum sudorem: VI 3,60 frontem candido sudario tegere. XI 3,148 sudario frontem siccare. Cat. Mart. Val. Max. Petr. Suet. — *supergredi* i. q. superare VI prooem 9. Val. Max. Curt. Sen. rhet. Plin. Tac. Suet. Ex poëtis adhibent hoc verbum Stat. Auson. Ven. Fort. — *superponere* translate est sequente loco ponere: IX 4,25 quia interim plus valent antegesta ideoque levioribus superponenda sunt. Cf. VIII 4,6; 9 Col. — *superstruere* est supra aedificare: I 4,5 quidquid superstruxeris, corruet. Sen. rhet. Tac. Apul. Met. — *supervenire* i. q. accedere: IX 4.23 aliud enim maius alii (sic scripsit Christ pro alio) supervenit. Col. Stat. — *suspiratio* i. e. actus suspirandi: XI 3,158 suspiratione sollicitudinem fateri. Cf. Plin. NH. praef. 9. — *syllogismus* est conclusio I 10,38 et crebro. V. Bonn. lex. s. v. Sen. ep. Plin. ep. Gell. — *thema* i. q. propositum, quaestio est t. t. II 10,5; passim; v. Bonn. lex. s. v. Sen. rhet. — *thesis* i. q. propositum II 1,9 et crebro. V. Bonn. lex. s. v. Sen. rhet. — *tirocinium* translate est rudimentum XII 6,3 nec rursus differendum est tir. in senectutem; 6,7 Plin. Sen. rhet. — *titulus* idem significans quod inscriptio vel index librorum primum exstare videtur apud Valerium Max. VIII 14 ext. 3 titulus librorum, tum apud Senecam phil. nec minus apud Plinium ep. et apud Quintilianum; cf. II 14,4 ipsis librorum, quos (sc. M. Tullius) scripserat, titulis. Ibid. 17,2. III 5,14. — *transcendere* invenitur translate: VII 1,21 ad leviora; cf. Vell. II 130,3 ad maiora. Hygin. ap. Gell. XVI 6,15. Occurrit absolute IV 1,79: ut non abrupte cadere in narrationem, ita non obscure transcendere est optimum. — *transcurrere* in oratione est leviter attingere, breviter

---

[1]) Etiam nostrates sic translate dicunt „einen Ausflug machen“. Proprie hoc sensu legitur Cic. ad Att. X 15,4; cf. Schmalz, Antib. s. v. excursio.

perstingere: IX 3,89 qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt. X 1,19; 5,8; XI 3,111. Sen. rhet. Plin. N. H. At IV 2,2 legitur: ʻsciens transcurram subtiles nimium divisiones quorundamʼ, ubi transcurrere idem valet quod silentio praeterire. — *transfigurare* est convertere in aliam figuram: VI 2,1 in eum quem volumus habitum (sc. animi) formandi et velut transfigurandi. Sen. ep. Plin. Stat. Suet. — Eodem fere sensu reperimus *transformare* I 2,30 (animum) transformari quodam modo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est. Verg. Ov. — Similiter occurrit etiam *transire* in aliquid more scriptorum argenteae aetatis: I 11,3 frequens imitatio transit in mores; ibid. 4,29 vocabulis in adverbium transeuntibus; cf. IX 4,40. Plin. N. H. Sen. ep. (V. Schmalz, Antib.[1]) s. v.). Alia et liberior significatio verbi transeundi est superandi: X 2,10 si non transierit, aequabit. XII 11,28 ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi, cf. XII 6,7 metum tirocinii transire. V. Lucan. II 565 Pompeium transire paras cf. IV 499. Denique transire est effugere: IX 4,29 quod (verbum) si in media parte sententiae latet, transire intentionem solet; cf. Stat. Theb. II 335. Reliquae significationes iam ap. Cic. inveniuntur. — Latior est usus substantivi quoque *transitus*: 1. translate de aetate: XI 3,28 in illo a pueritia in adulescentiam transitu. 2. i. q. transitio ab una re ad aliam: VII 6,5 ad alia; IX 4,50 in aliud genus rhythmi; 2,61 unde venusti transitus fiunt; VIII 6,38; X 7,11. De usu Valerii Max. v. Ungewitter l. c. p. 60. 3. *in transitu* est cursim: VII 3,27 leviter in tr. attigeram; II 10,15 i. t. non omittemus; VI 2,2 nec i. t. tractanda. Similiter Vell. alii. Cf. Schmalz, Antib. s. v. transcursus. — *tumor* est translate 1. inflatio de genere dicendi: II 10,7 t. ille inanis; IX 4,140; XII 6,5 omisso magna semper flandi tumore; 10,73. Sen. benef. II 11 t. verborum; Val. Max. I 5,8; Petr. 1. Gell. II 23,21. 2. i. q. superbia: II 2,12 hinc tumor et vana de se persuasio (cf. I 2,18 tumescere inani persuasione). Poetae. — *tyrannicida* V 10,36; v. Bonn. lex. s. v. Sen. Plin. Suet. — *tyrannicidium* VII 3,10. Val. Max. Sen. rhet. Plin. poster. — *undecumque* VII 3,33. Sen. phil. Plinii. — *vanescere* est evanescere IV 3,8. Poëtae. Sen. Plin. min. Tac. — *venula* translate legitur: XII 10,25 qui tenui venula per calculos fluunt. Proprie Cels. — *vernilitas* est faceta procacitas I 11,2: vern. servilis. Plin. mai. Sen. phil. — *vicinia* translate est similtudo, cognatio: II 12,4 est quaedam virtutum vitiorumque vic.; VIII 4,12 diversarum rerum quaedam v.; passim; v. Bonn. lex. s. v. Eodem sensu reperitur vicinitas: virtutibus ac vitiis vicinitas quaedam III 7,25; cf. I 5,5; V 10,6. Plin. mai. — *virilitas* duplicem significationem habet: 1. i. q. vis gignendi: V 12,17 virilitate excisa. Auct. b. Alex. 70; Tac. ann. VI 31; ibid. 5. Plin. Mart. Col. Dig. 2. i. q. virtus, gravitas dicendi: I 8,9 sanctitas certe et, ut sic dicam, virilitas ab iis (sc. Latinis auctoribus) petenda est. De Valerio Max. cf. Ungewitter l. c. p. 61. — *vivacitas* est vigor vivendi, vita: VI prooem. 3 hanc impiam vivacitatem novis insuper curis fatigare. Haec significatio

---

[1]) Adde Vell. II 118,4 ʻcasus in culpam transitʼ.

initium capere videtur a Valerio Max. VIII 13 ext. 4. Praeterea occurrit apud Plinium min. (Cf. Schmalz, Antib. s. v.). — *zelotypus* (eifersüchtig): IV 2,30 nam quid exponet (uxor), quae zelotypum malae tractationis accusat. Vox ea in sermone vulgari et in usu scholarum versata esse videtur. Cf. Iuv. Petr. Macrob. Arnob. Auson.

§ 3.

Vocabula, quae apud Quintilianum primum leguntur sive ab ipso novata sive ex Graeco translata sive nova indita significatione sive ex usu cotidiano assumpta.

abusive est per abusionem VIII 6,35; IX 2,35 (*διὰ κατάχρησιν*). Dig. — *acor* translate occurrit: IX 3,27 ut in cibis interim acor ipse iucundus est. cf. Plin. ep. VII 3,5. Cael. Aurel. (Proprie iam usurpat Col.). — *administrativus*: II 18, 5 ars activa vel administrativa (*τέχνη πρακτική*). — *affectatio* est ambitiosa in loquendo iactantia (cf. *κακόζηλον*) I 6,40 et crebro; v. Bonn. lex. s. v. Suet. Significans studium nimium rei assequendae hoc vocabulum iam Val. Max. IX 1,3 occurrit. *Affectator* primum legitur. Sen. dial. II 19,3, Quint. V 13,24; VI 2,16; 3,3. Poster. — *agnitor* est qui agnoscit signum: XII 8,13. Poster. — *allectatio*: I 10,32 Chrysippus etiam nutricum illi quae adhibetur infantibus allectationi suum quoddam carmen assignat. — *altercator*: VI 4,10 bonus a. vitio iracundiae careat; ibid. 15 turbidus et clamosus a. — *annotatio* brevis X 7,31. Plin. ep. Gell. — *antapodosis* = *ἀνταπόδοσις* VIII 3,77; 79 (redditio contraria). — *anticategoria* est mutua accusatio VII 2,25 (*ἀντικατηγορία*). Poster. — *antinomia* VII 1,15; 7,1; 10,2 (cf. III 6,46 *ἀντινομία*) ICt. — *antonomasia* VIII 6,39; 43; IX 1,6. Gramm. — *apodixis* (*ἀπόδειξις*) V 10,7; etiam Petr. sat. 132 et Gell. — *apologatio* V 11,20: *αἶνον* Graeci vocant et *Αἰσωπείους λόγους* et *Λιβυκούς*, nostrorum *quidam non sane recepto in usum nomine* apologationem. — *artificialis* = *ἔντεχνος* V 1,1; 9,1; VI 4,4; XII 8,14. Neutrum quasi substant: I 8,14 ut commoneat artificialium (sc. grammaticus). — *artificialiter*: II 17,42 qua in re alius se inartificaliter alius artificaliter gerat. Cic. scripsit *artificiose*, velut de or. I 18,6 sic. etiam Auct. ad Her. III 10,17. — *asperare* translate de auditu ponitur IX 4,31 asperandae compositionis gratia. August. dial. 5. — *assertor* translate est confirmator (v. Thes!): I 6,39 Verba a vetustate repetita . . . magnos assertores habent. Lact. — *attentio* non adiecta voce animi (Cic. de or. II 105) occurrit IV 1,34. — *auratura* est inductio auri in aliquam rem: VIII 6,28 cum aurata tecta ‘aurea’ (dico), pusillum a vero discedo, quia non est ⟨nisi⟩ pars *auratura*. Cf. Thes. s. v. — *cavillatrix* (*σοφιστική*) II 15,25; VII 3,14. — *chironomia* est lex gestus I 11,17. — *circulatorius* est se ostentans, iactans: II 4,15 (iactantia); X 1,8 (volubilitas). Tert. — *circumcisus* (*σύντομος*) IV 2,42; VIII 5,27; X 1,104. Pin. ep. — adv. VIII 3,81. Suet. rh. 6. Macrob. — *circumductus* de ambitu figurae I 10,43. — *circumductum*: Hoc vocabulo vult Quint. *περίοδον* transvertere: IX 4,22. (cf. ibid. 4,124, ubi Ciceronis voces nominantur.) Hoc sensu legitur etiam circumductio IX 4,118; XI 3,39. —

circumlocutio (περίφρασις) VIII 6,61. Gell. Arnob. — *circumstantia*: V 10,104 Hoc genus argumentorum sane dicamus *ex circumstantia*, quia περίστασιν dicere aliter non possumus. Gell. Tert. — *circumversio* est idem quod convertere XI 3,105: vitiosa est una conversio (sc. manus). Amm. — *civilitas* (πολιτική) i. q. civilis scientia II 15,33; 25; 17,14. Poster. — *classis* (cf. Peterson ad h. l.) est ordo discipulorum: I 2,23 pueros in classes distribuerant; ibid. 24 ducere classem; X 5, 21 consuetudo classium certis diebus audiendarum. — *coexercitatus* II 17,41: artem constare ex perceptionibus consentientibus et coexercitatis e. q. seq. cf. ἐγγεγυμνασμέναι καταλήψεις. — *cognitura* est munus cognitoris XII 9,9 (Staatsanwaltschaft). Suet. Gai. — *collectivus*: III 6, 46 συλλογισμόν quem accipimus ratiocinativum vel collectivum (sc. statum); cf. VII 1,60; III 6,66. — *colluctatio* translate dicitur XI 3, 56: cum verbis suis c. Proprie Col. Sen. phil. — *comma* = incisum I 8,6 (cf. IX 4,22 κόμμα; sic etiam Cic.). — *competere* est convenire IV 1,17 (opponitur repugnare). c. in aliquem = cadere in aliquem III 6,11 actio competit in equitem Romanum. Poster; vide Schmalz, Antib. s. v. — *complexus* translate est contextus orationis I 5,3 et passim; v. Bonn. lex. s. v. — Proprie (ut Cic.) = amplexus exstat VI 1,42; VIII 3,68. — *concise* i. q. breviter de oratione XII 2,11. — *conexio* est tertia pars epichirematos, conclusio V 14,6; 17; 19; 22. — *conflictatio* i. e. conflictio III 8.29. Apul. Gell. Cod. — *congeries*, t. t. rhet., est συναθροισμός VIII 4,3; 26; 27. Alia est significatio V 13,13: flamma, quae magna congerie convaluerat. V. Schmalz, Antib. s. v. — *consaeptum* translate significat terminos XII 2,23: si ingenium suum *consaepto fori*, non ipsius naturae finibus terminasset. Apul. (Proprie Varro, Liv. Col.). — *consignatio* XII 8,11 = tabulae, litterae: promittit litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes e. q. seq. Dig. — *consonans* t. t. gramm., I 7,9 et crebro; v. Bonn. lex. s. v. Grammatici. — *consultator* pro consultore ponitur VI 3, 87. Dig. V. Schmalz, Antib. s. v. — *continens* (τὸ συνέχον) III 11,9; ibid. 1; 18. 6,103. V. Naeg.-Müller [9] p. 476 sq. adnot. — *contrapositum* IX 3,81: c. vel, ut quidam vocant, contentio (ἀντίθετον dicitur); ibid. 83; 102; 32; 4,18. V. Schmalz, Antib. s.v. contrarietas! — Verbum contraponere occurrit IX 3,84. — *convinctio* (σύνδεσμος) I 4,18 (convinctio Quintiliano magis propria translatio esse videtur quam coniunctio); ibid. 19. — *culte* adv. VIII 3,7: nemo ex corruptis dicat me inimicum esse culte dicentibus. Cf. Plin. ep. V 20, 6. Comparat. cultius iam invenitur Sen. suas. 4; Val. Max. II 6,8; Iust. III 3,5 et VII 3,5. — *dedignatio* est fastidium I 2,31 est quaedam tacita dedignatio ... ad unum auditorem demittere vim dicendi. Plin. paneg. 18,1. — At *dedignari* apud Quintilianum nusquam reperitur, quamquam hoc verbum argentea aetate erat usitatum. V. Schmalz, Antib. s. v. — *deminutio* t. t. gramm. I 6,6; 4. Grammatici. — *deminutum* i. e. deminutivum: I 5,46 pro nomine integro deminutum. — *densitas* translate dicitur VIII 5,26 sententiarum; IX 2,72. Proprie Plin. Amm. Vopisc. — *densus* item de oratione usurpatur est pressus X 1,73; 76; 106 densior ille, hic *copiosior*. — *derivatio* translate proprio usu legitur III 7,25 i. q. permutatio verborum simile quiddam significantium. —

destruere translate de rebus dicitur ut apud Ciceronem: I 10,48 tyrannidem; XI 1,2 ornatum orationis; sed Quint. etiam sic hoc vocabulo utitur, ut idem fere valeat quod refutare (oppos. confirmare): II 4,18 narrationem; VII 3,19 finitionem; III 9,5 refutatio est, quae destruat; v. Bonn. lex. s. v. Item translate legitur subst. — *destructio* sententiarum X 5,11. — *dialectice* (*διαλεκτική*) II 17,42 et saepius. V. Bonn lex. s. v. XII 2,13 exstat dialectica. — *dialectus*[1]) (*διάλεκτος*) IX 4,18. Suet. Tib. 56. — *dignationes*[1]) XI 1,67 de hominibus, non de honoribus dici ex contextu rerum colligendum esse videtur; nam agitur ibi de *personis*. Cf. de hoc vocabulo Schmalz, Antib. s. v. dignari. — *dimensio* (*μέτρα*) IX 4,45; 48; 52; 85. Apud Ciceronem *dimensio quadrati* legitur Tusc. I 24,57. — *directio* quaedam rationis ad veritatem III 6,30. Hoc substantivum invenitur apud Vitruvium, sed alio sensu de structura. — *discretio*[1]): VII 1,1 sit . . . divisio rerum plurimarum in singulas, partitio singularum in partes discretio. Schmalz, Antib.[7] I 455 s. v.: 'discretio ist ein Sp. L. Wort, welches in der Vulg., bei Eccl. Amm. Macrob. u. a. vorkommt usw.' Adde hunc locum Quintiliani! — *disputatrix* II 20,7; XII 2,13 (= dialectica). — *diversitas* est dissimilitudo I 12,5 et saepe; v. Bonn. lex. s. v. Plin. ep. Tac. Suet. poster. — *effectivus* = *ποιητική* (ars) II 18,5. Poster. — *elocutoria*, elocutrix II 14,2 (*ῥητορική*). — *emancipatio*, t. t. iur., XI 1,65. Plin. ep. Jur. — *emugire* II 12,9 i. e. mugiendo exclamare: clamant ubique et omnia levata, ut ipsi vocant, manu emugiunt. Jam invenitur hoc verbum, quod ex sermone cotidiano sumptum esse videtur, in Aetna 294 (longas voces em.). — *emutatio* i. e. commutatio VIII 6,51. Cf. emutare VIII 2,19 ut Manil. V 149. — *enarratio* poëtarum I 4,2; II 5,1. cf. I 8,18; I 9,1 auctorum; I 4,3. Cic. usurpat pertractationem deor. I 187. — *enormis* i. q. non aequalis XI 3,139 Ipsam togam rotundam esse et apte caesam velim. Aliter enim multis modis fiet enormis. Tac. ann. XV 38 e. vici. Apud alios scriptores argenteae aetatis enormis est immensus, summus. — Cf. *enormitas* IX 4,27. — *enotare* est litteris consignare: I 7,27 *cui* tribus litteris enotamus. Plin. ep. Cf. Petr. sat. 93, 2, 4. — *enuntiatrix* (ars) II 15,21 (verbum ex Graeco translatum). — *epichirema* t. t. rhet.: V 10,2; 7; 14,5; 14; VIII 5,4. — *epiphonema* t. t. rhet.: VIII 5,11 est epiphonema rei narratae vel probatae summa acclamatio; XI 1,52. — *ethologia* I 9,3. Suet. gr. 4. Cf. Sen. ep. XV 3,65. — *excessus* III 9,4: egressio vel quod usitatius esse coepit, excessus (i. q. digressio); ibid. 9,1. Plin. ep. IX 26,9; Tac. Dial. 22. Amm. — *excusor* (= *χαλκεύς*): II 21,10 qui *χαλκευτικὴν* exercet. — *exercitatrix* II 15,25: quod duas partes civilitatis corpori assignet (sc. Plato), medicinam et quam interpretantur exercitatricem (= *γυμναστική*?). — *exheredatio*: VII 1,53 exheredationem meruisti. ICt. — *exhortativus* III 6,47; V 10,83 (*προτρεπτικὴ στάσις* vel *παρορμητική* = exh. status.) — *exsucus* translate i. e. sine suco et sanguine (de hominibus) XII 10,14: aridi et exsuci et exsangues (oratores). — *favorabiliter* IV 3,1: quam maxime possint favorabiliter excurrere. Suet. Macrob. — *fictio* IX 1,5: *ὀνοματοποιία* fictio est

---

[1]) Deest in lex. Bonn.

nominis; passim. V. Bonn. lex. s. v. Gell. Arnob. poster. — *fideicommissum* III 6,70. Non debes apud praetorem petere f., sed apud consules; cf. IX 2,74. ICt. — *formularius* XII 3,11: formularii vel, ut Cic. ait, leguleí quidam este maluerunt. Spart. Get. 2. — *gracilitas* de oratione dicitur pro nuda simplicitate I 9,2 eandem gr. stilo exigere; IV 3,2; XII 10,24. Gell. — Eodem sensu exstat adi. *gracilis* (oppos. validum) XII 10,66; 36. Cf. Verg. Cir. 20. Plin. ep. Gell. adv. graciliter vel potius gracilius IX 4,130. Apul. — *grammatice* adverbialiter I 6,27: aliud esse Latine, aliud grammatice loqui. — *grammatice subst.* II 1,6 grammaticen profiteri et saepius; gen. *es* I 5,1.[1]) V. Bonn. lex. s. v. Cic. scribit grammatica. — *historice* est enarratio auctorum I 9,1. — *hortativus* V 10,83: haec ad hortativum maxime genus pertinent. Grammatici. — *iactantia* est ostentatio I 6,20, crebro; v. Bonn lex. s. v. Plin. ep. Tac. poster. — *illustramentum* i. e. ornamentum orationis XI 3,149. — *improprius* t. t. saepissime occurrit apud Quintilianum. V. Bonn. lex. s. v. Absolute neutrum positum est: I 5,46; VIII 2,3 apud nos improprium, ἄκυρον apud Graecos vocatur; ibid. 3,15. plur: I 8,13; II 5,10; X 3,20; XII 10,42. Adv. improprie iam Plin. N.H. exstat. — *inaffectatus* VIII 3,87; IX 4,17; X 1,82; XI 1,93. Plin. pan. Apul. Tert. — *inartificialis* et inartificialiter; v. artificialis. — *inclinatio* absolute pro inclinatione voluntatis (Cic. de or. II 129) vel animi (Sen. clem. II 4,3) dicitur Quint. VI 1,10: incl. iudicum ad nos. Cf. Tac. ann. IV 20; II 38; hist. II 92. — *inconsequentia* VIII 6,50: i. rerum foedissima. — *indifferenter* IX 2,6 utroque (sc. verbo) utimur indifferenter cf. XI 3,1. Suet. Gell. Dig. — *infinitum* (sc. verbum) est idem quod poster. grammatici (Diom. Prisc.) vocant infinitivum: IX 3,9 cum infinito verbo sit usus pro appellatione (vivere pro vita); I 6,7 si in infinitis e litteram media syllaba acceperunt. Gramm. (cf. Varro L.L.) — *iniudicatum* relinquere X 1,67 (cf. I 4,21 liberum relinquo). Gell. V 10,15. — *innatans* translate apud Quintilianum legitur (sc. in superficie): X 7,28 innatans illa verborum facilitas in altum reducetur; VII 1,14 haec velut innatantia videbunt. — *insectator* translate usurpatur X 1,129: i. vitiorum. Ins. plebis occurrit Liv. III 33,7. — *insolubilis* i. e. quod infirmari non potest: V 9,3 signum insolubile = ἄλυτον σημεῖον. Haud scio an recte scribat Regius etiam V 10,74 'signorum insolubilium'. — *inspectio* est 1. contemplatio V 5,2 i. ipsa saepe etiam falsum deprehendit. Cels. Col. Sen. n. qu. Traian. ap. Plin. ep. X 57,1. 2. inspectio et exercitatio II 17,42; ibid. 18,1 insp. i. e. cognitio et aestimatio rerum = θεωρητική (exercitatio = πρακτική). — *instans* (sc. tempus) absolute = praesens primum a Quintiliano dici videtur, tum apud grammaticos occurrere solet (cf. l'instant): V 10,42 praeteritum, instans, futurum.[2]) Ea autem significatio iam praeparata est his locis Cic. Tusc. disp. IV 11 quae venientia metuuntur, ea afficiunt aegritudine *instantia*. ibd. 64: quibus — rationibus *in-*

---

[1]) Cf. Ch. Hauser, De Quintiliani praeceptis et usu nomina Graeca declinandi, Progr. Saaz 1875, p. 7.

[2]) Auct. ad Her. II 5,8 id dividitur in tempora tria: praeteritum, instans, consequens.

stantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia; de div. I 126 fatum ... causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et quae *instant*, fiant et quae sequuntur, futurae sint; de fato 12 nunc legitur subst. instantia eodem sensu atque ‘instans tempus’. cf. De orat. II 105. Tac. hist. III 36; IV 69. Macrob. de diff. verb. 15,1. — *interlocutio* t. t. iur. V 7,26. Gell. poster. — *intersistere* est haesitare: XII 11,2 ne intersistat fatigatus; VIII 3,45; IX 4,33; 36; 106; X 7,10. — *invalescere* II 1,1 tenuit consuetudo, quae cotidie invalescit; VI 1,44; X 2,13. Suet. Dig. Apud alios scriptores tantum formae temporis praeteriti occurrunt ut Cic. Mur. 15. Lucr. Tac. Plin. ep. — *inventiuncula* VIII 5,22: plerique *minimis* etiam *inventiunculis* gaudent. — *iudicatrix* II 15,21, ubi Quintilianus addit ‘ut ipsis *eorum verbis* utar, qui haec ex Graeco transtulerunt’. — *lacteus* singulari usu apud Quintilianum X 1,32 occurrit, ubi dicitur de *Livi lactea ubertate.* De interpretatione huius vocabuli viri docti non consentiunt. Optima autem videtur translatio Bonnell-Meister[5] „strotzende Fülle“, quia oppositum ibi est illa Sallustiana *brevitas.* — *lascivire* translate de oratione: II 4,3; IX 4,6; XI 1,56; XII 10,73. — *latrator* pro rabula molesto et maledico invenitur XII 9,12. Mart. XII 1,1 et Verg. Aen. VIII 698 latrator significat *canem.* — *lenocinari*[1]) apud Ciceronem aliosque est demisse adulari. Quint. autem scripsit V 12,17: mancipiorum negotiatores formae puerorum virilitate excisa lenocinantur i. e. gratiam conciliant. Cf. Plin. ep. II 19,7; I 8,6; Symm. ep. 9,87. — *ligamentum* aurium legitur XI 3,144. cf. Tac. ann. XV 54 vulneribus ligamenta parari iubet. — *manus* in arte gladiatoria idem fere valet quod ictus ideoque substantiva haec variationis causa paene promiscue adhibentur. Cf. IX 1,20 in armorum certamine adversus ictus et rectas ac simplices manus ... propulsare facile est; V 13,54 gladiatorum *manus*, quae secundae vocantur, fiunt et tertiae, si prima ad evocandum adversarii *ictum* prolata erat; cf. VI 4,8 prope sub conatu adversarii manus exigenda (= proferenda = Streich ausführen). — *metalepsis* t. t. rhet. VI 3,52; VIII 6,38. — *metaphora* t. t. VIII 6,8; ibid. 18; at VIII 6,4 translatio, quae *μεταφορά* Graece vocatur. — *methodice* I 9,1: ratio loquendi et enarratio auctorum, quarum illam *methodicen,* hanc *historicen* vocant. — *metonymia* VIII 6,23. Gramm. — *narratiuncula* I 9,6. Plin. ep. VI 33. — *obliquare,* quod verbum apud poëtas crebro occurrit, a Quintiliano adhibetur de pronuntiando I 4,9: k ... et q, cuius similis effectus speciesque, nisi quod paulum a nostris *obliquatur.* Stat. Theb. III 381 preces; Arnob. III 143 responsa o. — *oeconomia* pro quavis dispositione et ordine I 8,9; III 3,9 oeconomiae, quae Graece appellata ex cura rerum domesticarum et hic per abusionem posita *nomine Latino caret.* Jam Cic. hoc vocabulum sic usurpat, sed Graeca scriptura legitur Att. VI 1: nec *οἰκονομίαν* meam instituam, sed ordinem conservabo tuum; cf. Vitr. — *oeconomicus* VII 10,11: oeconomica totius causae dispositio. Cic. off. II 24,87 substantivorum more dicit ex Graeco transferens: in eo libro (Xenophontis), qui Oeconomicus

---

[1]) V. p. 49.

inscribitur. — *offensator* X 3,20 tardior in scribendo aut incertior in intellegendo *velut offensator*. — *operositas* est multa cura VIII 3,55: Est etiam quae περιεργία vocatur supervacua, *ut sic dixerim, operositas*. Poster. — *orthographia* t. t. gramm. I 4,17; 7,11 (at I 7,1 legimus; quod Graeci ὀρθογραφίαν vocant, nos *recte scribendi scientiam* nominemus). Suet. Aug. 88. — *paraphrasis* X 5,5; I 9,2: paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare *salvo modo poëtae sensu* permittitur. — *participialis* est ad participium pertinens, t. t. gramm., I 4,29: verba participialia. — *patrie* i. e. affectu paterno XI 1,68: non inimice corripere, sed paene patrie monere. — *perpetualis* = καθολικός II 13,14: praecepta, quae καθολικά vocant, i. e. *ut dicamus quomodo possumus*, universalia vel perpetualia. — *perscribere* singularia usu legitur X 1,89: Si (Corn. Servus) ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset i. q. ad finem perduxisset. — *persuasibilis* II 15,13; ex Graeco vertitur: rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia; ibid. 16; 17; 21; II 21,1. — *persuasibiliter* adhibet Quintilianus, ut Hermagorae definitionem breviter transvertat II 15,14; ibid. 22; (Cic. de inv. I 5,6 dicere a p p o s i t e a d p e r s u a d e n d u m, quem locum Quint. citat II 15,5). — *pilarius* X 7,11: miracula (Kunststücke) illa in scaenis pilariorum ac ventilatorum (Gaukler und Taschenspieler). — *pleonasmus* IX 3,46: Hoc Caecilio pleonasmus videtur i. e. abundans super necessitatem oratio. Marc. Cap. gramm. — *pluralis*, t. t. gramm. I 5,42; 6,26. Subst. IX 3,8. Neutr. pl. I 5,16; VIII 6,28; IX 3,63. — *positio*. Haec vox varium aqud Quintilianum habet usum: 1) i. q. situs: III 7,26 ex loci positione ac munitione. Cf. Col. Sen. phil. Plin. mai. alii. 2) de syllabis: I 5,28 etsi brevis natura, tamen positione longa est; IX 4,86. Diom. 3) i. q. usus: VIII 6,23 metonymia est nominis pro nomine positio; cf. I 5,51. 4) t. t. rhet., i. q. thema: II 10,15; VII 4,40. 5) t. t. gramm., i. q. terminatio vel finis verbi aut substantivi: I 5,60 prima positio (i. e. nominativus!) in easdem quas Castor litteras exit; cf. ibid. 65; 6,10 quia prima positio paciscor . . . faceret tempore praeterito pactus sum; ibid. 12; 22; 25; 15; cf. I 4,24 quae feminina positione mares aut neutrali femininas significant. 6) de rhythmis i. q. Niederschlag (θέσις): IX 4,48 ut a sublatione ad positionem idem spatii sit; ibid. 55. Marc. Cap. 7) i. q. res adiunctae: VII 4,40 quaestiones positionibus mutantur. — *praecogitare*: XII 9,20 licet tamen praecogitare plura. Cf. Cod. Theod. VIII 4,20. Apud Livium, Senecam phil. tantummodo partic. p r a e c o g i t a t u s invenitur. Cf. Schmalz, Antib. s. v. — *praeformare* quod verbum postea occurrit Sil. VII 385 et Tert. apol. 1, duplicem habet sensum apud Quintilianum: 1) antea informare aliquid: II 6,5 incipientibus danda erid velut praeformata materia. 2) praeire scribendo: V 14,31 praeformatas infantibus litteras. (Subst. praeformator occurrit Tert. praescr. 30). — *praeformidare* IV 5,5. Sil. III 608. — *praelectio* I 2,15; II 5,4. — *praelegere* i. e. legendo interpretari: I 5,11 quidam auctores, quos praelegunt, criminantur; 8,8 pueris, quae maxime ingenium alant atque animum augeant (ex Lat. auctoribus) praelegenda. ibid. 8,13. Suet. — *praemodulari* est ante modulari: XI 3,109: iuvenes, cum

scribunt, . . . gestum praemodulati e. q. seq. — *praemollire*: II 9,3 praemollitus sulcus. Translate: VI 5,9 praemollitas iudicum mentes; cf. IV 3,10. — *praesumptio*, t. t. rhet., est occupatio (πρόληψις)[1]) IX 2,16; 18. (Cic. de or. III 205: anteoccupatio. Cf. Inst. or. IX 1,31. — *praesumptus:* III 6,35 προληπτικόν i. e. praesumptum, quo significatur, de quo liquet. Cf. I prooem 20 praesumpta desperatio; II 17,28 opinio praes. Sil. VII 582 spes; Tac. ann. III 46. Amm. — *praevelox* translate dicitur de memoria XI 2,44. Proprie iam Plin. N. H. — *procursio* est actus procurrendi XI 3,126. Translate i. q. digressio IV 3,9. — *prosopopœia* VI 1,25 pr. i. e. fictae alienarum personarum orationes. V. Bonn. lex. s. v. (Graecis litteris scriptum: IX 2,29; 37). — *pugnacitas* est ardor et vis pugnandi. Hoc vocabulum, quod proprie usurpatur Plin. mai. et Sen. rhet., translate legitur Quint. IV 3,2 argumentorum pugn. Cf. Tac. dial. 31 dabunt Academici pugnacitatem; cf. Gudeman et John ad h. l. — *pullatus* translate refertur ad homines infimae plebis VI 4,6; pullata turba; II 12,10 p. circulus. Plin. ep. VII 17,9. Suet. Aug. 40 et 44. — *quadra* = Quadrat I 10,43: deni in quadram pedes quadraginta per oram, intra centum erunt. Fest. Apud alios scriptores quadra est res quadrata. Nec deest apud Quintilianum quadratum, cf. I 1,41; 44, quod etiam apud Ciceronem sic legitur. — *redditio* t. t. rhet., VIII 3,77; r. contraria, quae antapodosis dicitur; ibid. 79; 80. Auson. — *redhibitio*, t. t. iur., i. q. actus redhibendi, rei emptae reddendae: VIII 3,14 in redhibitione mancipii sudare. Gell. Dig. — *regressio* est illud repetendi genus, quod simul proposita iterat et dividit IX 3,35: ἐπάνοδος dicitur Graece, nostri regressionem vocant. Rufin. — *relatio* varie usurpatur: 1) est enumeratio, commemoratio IX 2,59: Nostrorum quoque dictorum factorumque similis imitatio est per rel.; IV 1,13 meritorum; II 7,4; II 3,77. 2) reductio manus calamum intingentis: X 3,31 crebra relatione, quoad intinguntur calami. 3) referri ad aliquid: VIII 4,21 ex relatione ad aliquid. De Ciceronis loco de or. III 207 cf. Quint. IX 3,97. — *reptatio* per manus et genua (infantium) I 12,10. — *rescribere* = ἀντιγράφειν X 5,20 melius hoc quam rescribere veteribus orationibus (cf. Peterson a. h. l.). Suet. Calig. 53. Sensus est: contrariam componere orationem. — *resupinus* praeter proprium usum X 3,15 resupini spectantesque tectum etiam translate occurrit i. e. mollis, effeminatus (cf. supinus): V 12,20 resupina voluptate auditoria; XI 3,167. Dig. — *reversio* quaedam = ἀναστροφή VIII 6,65. — *rubrīca* est inscriptio sive titulus legum. (Cf. Dig. 43,1,2). Nam rubricā tituli et capita legum notabantur.[2]) Per metonymiam alteram rubrica vocatur lex ipsa, cf. Pers. 5,90 excepto si quid Masuri rubrica vetavit. Similiter Quint. XII 3,11: se ad album ac rubricas transferre.[3]) — *scurrilitas* est procax dicacitas XI 1,30. Tac.

---

[1]) Cf. Schmalz, Antib.⁷ II p. 367 s. v. praesumere. Sed falsum est illud: „ebenso ist *praesumptio* die mit einem gewissen Vorgenuß verbundene Erwartung eines künftigen Gutes bei *Quint.*, dem jüngeren Plin. u. a.“ Nam de significatione Quintilianea vide supra!

[2]) cf. Mart. III 2,11 et cocco rubeat superbus index. Ov. Trist. I 1,7 nec titulus minio nec cedro charta notetur.

[3]) cf. Pauly-Wissowa, Realenzyclop. s. v. albus p. 1332 linea 49 sqq.

Dial. 22. (Porphyr ad Hor. sat. I 3,21 et 8,11 scribit scurrulitatem). — *semivocalis* t. t. gramm. I 4,6; 7,14. Prisc. — *seniliter* = more senum I 11,1. — *sensiculus* VIII 5,14. — *sermocinatrix:* III 4,10 Plato iudiciali et contionali (orationi) tertiam adiecit προσομιλητικήν, *quam sane peemittamus nobis dicere* sermocinatricem. — *significantia* est perspicuitas X 1,121: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. Apud posteriores significationis vim accipit hoc vocabulum. — *sotadeus* I 8,6; IX 4,6; 90. Poster. — *subassentiens* est aliquantum assentiens XI 3,100: subassentientibus humeris. — *sublatio* est 1) destructio VII 1,60; iudicii. 2) i. q. ἄρσις (oppos. positio) IX 4,48; 55. — *substringere* translate de oratione dicitur eodem sensu ac pressius eloqui X 5,4. — *suffugium* ponitur pro subsidio; IX 2,78 haec deverticula et aufractus suffugia sunt infirmitatis. Cf. Tac. ann. IV 66. Apul. — *superiectio*: VIII 6,67 hyperbole . . . est decens veri superiectio. — *supinitas* est positura supina XI 3,122: est odiosa omnis supinitas. Poster. — *supinus* translate est ignavus, iners: X 2,17; XI 3,3: supini securique; IX 4,137; XII 10,79. Poetae. Dig. — *syllogisticus* status est ratiocinativus V 10,6. — *synecdoche* VIII 6,19; 28. Gramm. Auct. ad Her. IV 33 eandem figuram vocat intellectionem. — *syntonon* i. e. instrumentum quoddam musicorum IX 4,142: lascivissimis syntonorum modis saltare. — *technicus* est qui artis regulas tradit II 13,15: velut decretis technicorum tutos (iuvenes) putare. — *tersus* de hominibus usurpatur ut iam Stat. silv. praef. 2 dicit: vir in omni vitae colore tersissime. Instit. or. X 1,93: tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus; cf. ibid. 94. De rebus: XII 10,20: iudicium acre tersumque; ibid. 50 quod libris dedicatum in exemplum edatur, et tersum ac limatum . . . esse oportet. Sic occurrit Plin. ep. IX 22,2 opus t., II 3,1 praefationes t. — *testatio* quid significet, cognoscimus ex hoc loco: V 7,32 Saepe inter se collidi solent inde *testatio,* hinc testes: locus utrimque: haec enim se pars iure iurando, illa *consensu signantium* tuetur. Sunt ergo testationes apud Quintilianum tabulae vel litterae testimoniales; cf. XII 3,5 eum (sc. oratorem) nec inutilem, si ad horam forte constiterit, neque in *testationibus faciendis* esse imperitum velim; V 13,49. — *textum* translate ad orationem refertur IX 4,17: illud in Lysia dicendi textum tenue atque rasum. Similiter legitur textus IX 4,13: quantum interest, sensus idem quibus verbis efferatur, tantum, verba eadem qua compositione vel in textu iungantur vel in fine claudantur. Ceteris locis sic exstat contextus. V. Bonn. lex. — *transsumptio* est figura rhetor. = μετάληψις VIII 6,37: tr. quae ex alio tropo in alium velut viam praestat; cf. III 6,46 μετάληψιν, quam nos varie translativam, transsumptivam, transpositionem vocamus. — *universalis* (cf. perpetualis) II 13,14. Praeterea III 5,5 et 12: quaestiones; VIII 5,3 est autem (sententia) vox universalis, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis. Plin. ep. X 71,2: nihil inveniebam aut proprium aut universale. — *vacillatio* XI 3,128: illa indecora in dextrum ac laevum vacillatio. Suet. Claud. 21. — *ventilator* X 7,1; v. pilarius! — vocalitas = *εὐφωνία* I 5,24.

Caput II.

De usu vocabulorum.

§ 1.

De substantivorum usu.

Substantiva abstracta pluraliter[1]) usurpantur haec:

1. Substantiva, quibus affectus aliquis indicatur:

amores VI 2,15; 17; X 1,63; 1,100. Poëtae. Cic. — *metus* III 8,39; VI prooem. 11; IX 2,86; XII 1,28; 2,3. Cic. Tac. alii. — *odia* IV 1,8; V 13,38. Poëtae. Cic. Tac. Just. — *voluptates* poeticae I 8,11: cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent.

2. Alia substantiva:

adipes II 10,6. Cic. Lucr. Col. Plin. N. H. alii. — *auctoritates* sunt hominum declarata, fere idem, quod exemplum: V 11,43 exempla et has auctoritates (antecedit: dictum aliquod aut factum); cf. II 13,7 auct. magistrorum. Cic. Sen. Tac. — *auditiones*[2]) i. q. rumores, fama: V 7,5. Cic. Caes. Tac. alii. — *clamores* VIII 3,68; X 3,30; XII 5,6; 6,4; 8,3. Poëtae. Cic. Plin. — *fletus* V 11,38 (Cic.). — *haustus* XII 2,31; 10,70. Poëtae. — *lenocinia* IV 2,118; VIII prooem. 26; XII 1,30. Hoc vocabulum Cic. quidem pluraliter adhibet, sed alio sensu; Quint. lenociniis significat suavitatem quandam orationis; sic Tac. hist. I 18; Suet. Cal. 39, sed singulariter. — *livores*, *tumores* V 9,11; livores *et* tumores II 21,19; V 10,46. Cic. coniungit livor*e* et tumor*e*. At Tusc. IV 29,63 legimus: quod . . vetat Chrysippus ad recentis *quasi tumores* animi remedium adhiberi, ubi translata videtur vox Chrysippi — *munditiae* VIII 3,87. Plaut. Ov. Cato. Sall. Sen. rhet. Tac. — *operae* i. q. labores: XII 11,23 idem (M. Cato) rerum rusticarum peritissimus inter tot *operas* militiae. Plaut. Tac. Agr. 42. Vell. II 111,1. Cic. hunc usum admittit una tantum locutione, ad Att. XI 10,1 *operas* in portu et scriptura Asiae pro magistro *dedit;* cf. Verr. II 171 qui in portu *operas dabat*; ibid. 176; fam. XIII, 65,1: qui *operas* in scriptura pro magistro *dat.* — *rumores* V 1,2; 3,1 famam atque rumores. Cic. Caes. alii. — *sales* VI 3,15; X 1,107; 117; XII 10,12. Cic. Plin. Sen. vit. beat. 27. Poetae. — *sordes* 1. de habitu: VI 1,33 sordes et squalor. 2. de avaritia: IV 1,8; VI 3,74; XII 7,9 (Usus singularis non invenitur). Cic. Hor. Plin. ep. Iuv. Cf. Schmalz, Antib.[7] s. v. — *veneres*[3]): X 1,79 omnes dicendi veneres. Plautus. — *vestes*: VI 1,30 vestes sanguine perfusas; IX 4,4; XI 1,31; 3,174. Cf. Neue-Wagener l. l. „Der Plural kommt bei Dichtern und bei Späteren vor.“ Schmalz, Antib.[7] s. v. — *Cervix* a Quint. semper singulariter dicitur cf. I 11,9; IV 2,39; XI 3,82 et 83. Vide contra IV 2,124 in *M. Caeli* in Antonium

---

[1]) Cf. Naegelsbach-Müller, Lat. Stil[9] p. 47.

[2]) Auditiones apud Sen. Gell. Apul. alios quasi t. t. est de recitatione magistrorum; v. Naeg. l. l. p. 201[9].

[3]) Cf. X 1,100 illam solis concessam Atticis ven*erem*.

descriptione: 'frustra a *cervicibus* tollebant (contubernales'). VIII 3,35 Quint. secutus, ut videtur, Varronem L. L. VIII 14 perperam affirmat Hortensium primum videri cervicem dixisse, veteres autem pluraliter appellasse.[1])

Substantiva adiectivorum vim obtinentia.[2])

Adulter sacerdos V 10,104. — Filia virgo IX 2,70 (Sic poëtae comici. Cic. dicit virgo filia. Naegelsb. l. l. p. 294 [9]). — Meretrix mater XI 1,82. — Artifex motus IX 4,8; cf. XII 3,5 strenuum et fortem et omnium . . . artificem e. q. s. Naegelsb. l. l. p. 294 sq.

Non alienum hoc loco monere videtur Quintilianum Livio praeeunte poster*a* die scripsisse VI 3,90; XI 2,43 (cf. Neue-Wagener l. l. I p. 1016). Cicero autem habet poster*o* die et in poster*um* diem; cf. Quint. VIII 4,17 in posterum diem; I 12,1 d. ipse; I 12,2 eodem d.; II 4,35 idon*eo* d.; XII 1,6 da*ti* spectaculis dies. Ceterum II 7,1 cert*a* die = bestimmte „Frist“. V. Kühner: Ausf. Gramm. I 254.

Sponte sine pronomine prossessivo in Instit. orat. non raro invenimus, ut I prooem. 3: plus quam imponebatur oneris sponte suscepi; II 7,4 figuris non quaesitis, sed sponte et ex reposito velut thesauro se offerentibus; VIII 3,4 nec *sponte iudicioque* plausisse; v. Bonn. lex. s. v. Tamen *sua sponte* legitur VII 2,24 se ipsa sua sponte; sponte nostra III 6,8. — V 10,125 occurrit sponte quadam. Poëtae, tum poster. Cf. Neue-Wagener I 732.

§ 2.
De adiectivorum usu.

Adiectiva et participia haud raro vicem substantivorum obtinent.[3]) Hic usus iam apud optimos scriptores reperitur, sed angustis finibus circumscriptus videtur. Postquam autem Sallustius hos terminos egredi coepit, posteriores viam semel munitam latius patefacere veriti non sunt. Itaque etiam Quint. aliquantum recedit ab usu Ciceronis. Multo sane frequentius etiam apud eum illa adiectiva, quae revocantur ad secundam declinationem quam quae ad tertiam, sic usurpantur, item adiectiva neutrius generis frequentius quam masculini generis. Sed cum Cicero et probati solutae orationis scriptores nominativum masculini generis singularis paucissimis locis adhibeant, apud Quintilianum haud ita pauca exempla inveniuntur, ex quibus haec afferre sufficiat:

Bonus II 13,34; disertus VII 1,58; XI 1,21; eloquens VII 1,43; XII 10,1; eloquentissimus (futurus) I 2,21 cf. gen. eloquentissimi VIII prooem. 13; doctus II 17,43; Graecus [4]) IX 2,103 (audacius addito adiectivo IX 3,55 ex Graeco notissimo = Demosthene); imperitus II 12,17;

---

[1]) v. Paul Maas in Archiv. XII 501 sqq.
[2]) Cf. Naegelsb. Stil. § 73 [9].
[3]) V. P. Hirt l. l., qui totam hanc materiam fere exhausit. — Cf. Naegelsb., Stil. § 21 sqq.
[4]) Cf. IX 3,58: *Caelius* in Anton: stupere gaudio *Graecus*.

ineruditus II 12,4; peritus I 3,1; nullus VIII prooem. 16 (cf. Suet. Cal. 35). — Participia: abdicatus VII 2,17; addictus ibid. 3,26; advocatus (additur bonus) V 13,10; rogatus sententiam III 8,59; stupratus IV 2,69; vulneratus V 12,13. — Participii praesentis, quod haud scio an apud neminem scriptorem frequentius substantivi locum obtineat quam apud Quintilianum, nominativus masculini generis singularis duobus tantum locis exstare videtur[1]) XI 1,21 *abundans* opibus pauperem se . . . et *potens* infirmum . . vocet (cf. Vell. II 116,3: suspicit potentem humilis); VII prooem. 3 velut nocte in ignotis locis errans. Reliqui casus adiectivi et participii masculini in singulari numero crebrius etiam apud scriptores aureae quae vocatur aetatis occurrunt, ut pauca exempla satisfaciant ex Inst. or.: amentis est IV 2,85 (Suet. Aug. 51 amenti); boni V 10,64; bono II 15,28; diserto VIII prooem. 13; disertum II 12,7; orbum VI 1,36 (orbatus V 12,13); sapienti II 17,25; sapientem I 10,5; cf. studentem[2]) I 12,14; solliciti XI 3,48; sollicitum IV 1,33; filius defuncti V 14,15 (cf. Suet. Cal. 6); corpus occisi V 12,2; infantem XI 1,21 (cf. Suet. Aug. 65). — Feminini generis sunt haec afferenda; venefica VII 8,2; rapta VII 8,5; intestatae heres IV 2,5. —

De nominativo adiectivi et participii neutrius generis singularis legimus ap. Naegelsb. l. l. p. 105⁹: „Die Substantivierungen desselben im Nominativ und Akkusativ ohne Präposition gehören vorzugsweise dem wissenschaftlichen Stil an bei unverkennbarem Einflusse griechischer Ausdrucksweise". Haec affert Hirt l. l. p. 4 et addit: „Ihre Zahl ist gering und hat sich auf einige wenige Adjektiva und zumeist auf die *familiäre* Redeweise beschränkt". Ex instit. or. afferenda videntur haec: simile IX 2,54; dissimile V 11,13; secretum X 3,22; totum (de Tyndaridis) XI 2,16. Ea adiectiva, quae vim substantivorum abstractorum suscipiunt, etiam apud veteres scriptores iam saepius leguntur; cf. apud Quintilianum honestum IV 1,11. Adduntur alia quoque adiectiva, ut: iustum omne VII 4,5 cf. indecorum est omne nimium XI 1,91; summum bonum XII 2,24 (Cic.). — *melius* ac *peius, maius* ac *minus* III 6,51; prius, sequens IV 5,13. — Genetivus neutrius generis singularis frequenter occurrit, ut XII 2,3 aequi bonique tractatum; II 5,3 si quid novi; VII 3,22 aliquid sacri; 4,6 nihil iniusti (cf. Hirt l. l. p. 5). Dativus rarius invenitur, ut II 4,2 vero simile; III 6,14 vero propius; I prooem. 4 proximum vero; VI 3,64 nulli priorum simile; VI 3,21 contrarium serio. Saepius ablativus legitur, ut V 14,14 nullo = nulla re; cf. VIII 1,2; II 4,13; nullo alio III 8,52.

Exempla pluralium adiectivorum et participiorum omnium generum plurima sunt, ut necesse non sit afferre multa (cf. Hirt p. 13—17 et p. 20). Unum monere velim Quintilianum adhibere VIII 5,1 *sensa* addamque, quod Schmalz, Antib. s. v. dicit, bis tantum Ciceronem usurpare sensa

---

[1]) Cf. Naegelsb., Stil. p. 144⁹ (§ 29): „Ein substantivierter Nominat. singularis kommt bei den klassischen Prosaschriftstellern wenigstens nie vor" usw. At vide § 25,3: sapiens.

[2]) Schmalz, Antib. s. v. studere II p. 608⁷: „Plinius min. sagt (ep. V 5,5 et VII 13,2) auch sogar *studens*".

(de or. I 32 et III 55), proximo autem tempore neminem scriptorem usque ad Quintilianum.

Gerundiva vicem substantivorum obtinentia P. Hirt p. 21 haec exhibet: pudenda I 2,8; 8,21; XI 1,84; cf. erubescenda apud Velleium; praeferenda VIII 3,45; desuescenda III 8,70; facienda ac non facienda VI 2,11; dicenda X 7,16; XII 9,17.

De comparatione adiectivorum et participiorum.[1])

Nonnulla adiectiva ac participia insolentius per gradus declinata apud Quintilianum reperimus. Exempla minus aliis usitata haec sunt: *Absolutior* I 1,37. Plin. mai. et min. — *abundantior* II 4,7; Cic. Pis. 69. Cf. XII 2,28 magis abundans. — *agilior* XI 3,164 Sen. Col. Plin. ep. Suet. — *affectius* XII 10,45. — *astrictius* X 1,106. Cels. Sen. Plin. ep. — *aversior* VII 1,11 Sen. — *citatior* XI 3,17; 102; adv. citatius XI 3,112; citatissime I 1,37. — *circumspectius* IX 2,69. Sen. ben. III 14,1; Gell. — *eminentior* XI 3,46. Tac. Dial. 25. — *exsertior* XI 3,116. Plin. poster. — *facundior* XII 10,44. — *frigidior*[2]) I 7,6. Ov. Sen. de ira II 11. Superlat: Auct. ad Her. IV 21; Tac. de or. 39. — *iactantius* XII 7,6. Verg. Hor. Plin. ep. Tac. hist. III 53; ann. II 77. — *iactantior* XII 10,17 M. Caelius cf. XI 1,51. — *instantior* IX 3,54; XI 3,93; 164. Tac. ann. II 55; hist. IV 83; Gell. — *placidior*[2]) IV 2,74. Liv. Val. Max. Mela. Pallad. — *praesentior* IV prooem. 5. Verg. Ov. Liv. — *reductior* XI 3,46; cf. Tac. adductius G. 44; hist. III 7. — *secretior* I 1,35; 4,25. Mart. Tac. G. 41; Agr. 40. hist. I 24. — *significantius* VIII 2,9; 6,6. — *strictior* XII 10,52. Auson. Hygin. — *tersior* X 1,94. Gell. — *vocalior* VIII 3,16. Sen. n. q. II 29.

Gradus superlativi: *auspicatissimus* X 1,85. Plin. mai. et min. Tac. Gell. — *capacissimus* I 10,40. Liv. Vell. Sen. Plinii. — *eminentissimus* I 2,2 et saepius. Vell. — *exsultantissimus* IX 4,108. — *facundissimus* X 1,65; XII 2,27. Val. Max. Sen. rhet. Pacat. pan. — *festivissimus* VI 3,39. Plaut. Ter. Iustin. — *lascivissimus* IX 2,142. Suet. — *meritissimus* IX 2,35. Plin. ep. — *vulgatissimus* II 4,28. Val. Max. Suet. Dom. 22. Tac. ann. XIII 49 nunc legitur vulgarissimum, cf. Nipqerdey ad h. l.

Adverbia per gradus declinata haec sunt afferenda: *ulterius* procedere V 11,34. Poet. Val. Max. I 1,16. Sen. ep. 102. — *validius* II 5,5 frequenter v. Bonn. lex. s. v. valde. Phaedr. Vell. Plin. N. H. Tac. alii.

§ 3.

De numeralibus quibusdam.

Sescenti[3]) (et sex) ap. comicos poëtas, frequenter etiam apud Ciceronem legimus non propria significatione, sed eodem fere sensu ac permulti, nisi quod numerus quasi rotundatur. Hic usus, qui ex ratione mensu-

[1]) Cf. Naegelsb., Stil.[9] § 72a.
[2]) Omisit Georges, Lex. der lat. Wortformen.
[3]) Cf. Wölffl, Arch. IX p. 177sqq. — Schmalz, Lat. Synt. p. 630.[4] (Stolz-Schmalz, Lat. Grammatik, München 1910).

rarum fluxerat, aetate Augusti principis iam plane mutatus erat. Asinius Pollio quidem (v. Schmalz, Über den Sprachgebrauch des As. Pollio, München 1890 p. 37) ʻsescentiʼ sic usurpat, sed poëtae illius aetatis adhibent hoc sensu *mille.*[1]) Eos autem posteriores secuti sunt, Liv. Sen. Plin. nec minus Quintilianus, qui non *sex* aut *sescenti,* sed *mille* et *centum* ita dicit: IV 5,25 mille particulas; II 13,9 m. species; V 13,2 m. flexus; V 14,32 non m. figuris variet ac verset? VII 1,37 multis milibus versuum; VIII 6,35 mille sunt haec; VII 10,8 quid una faciet et altera, quin immo *centum* et *mille*[2]) in re infinita? — Mille alia occurrit I 6,25; II 15,23; IX 3,1; I 4,13 (Radermacher. — Meister talia). — Contra I 5,63 legimus alia *plurima.*

Intra tricesimum diem invenimus IX 2,90. De hoc usu temporali praepositionis intra, quem habet Caesar, nusquam Cicero, cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 401. Kalb, Juristenlatein, 1882[2] p. 27 sqq.

§ 4.
De pronominum usu.

Hic-ille secundum veterum consuetudinem saepe ita usurpantur, ut hic ad membrum propius, ille ad remotius spectet.[3]) Contra non minus frequenter ita collocata ista pronomina inveniuntur, ut hic ad remotius, ille ad propius membrum referatur: III 10,1; VI 2,9; 2,21; VIII prooem. 17; XII 10,16 et passim. V. Bonn. lex. s. v. v. Aliis locis reperimus ille — hic adiectis vocabulis prius — sequens vel secundum: I 8,18 priora illa — haec sequentia; V 10,42 prius illud — hoc sequens; cf. III 6,36 prius — sequens et VIII 3,24 prior — sequens. — V 10,2 illud prius — hunc; I 5,6 illud prius — hoc secundum; III 8,63 prior illa — haec secunda; XII 10,4 prior — secundus; cf. IX 2,3 prior — haec altera. Cf. Auct. ad. Her. IV 26 illius superioris; Cic. Lael. 20 hoc extremum — illa superiora. (De Ciceroniano usu prior, superior — posterior v. Schmalz, Antib. s. v. posterior!) Occurrit etiam ille — ille II 8,11 (Wölfflin, Arch. lex. XII p. 253 falso citat II 9,12); III 6,93; XI 2,168. Manil. Luc. Juv. Sen. ep. Plin. ep.

---

[1]) Cic. *milies* sic usurpat, nusquam *mille.*

[2]) Apud nostrates prioribus temporibus „ein Dutzend", „ein Schock" dicebatur, nunc saepius „Hunderte", „Tausende".

[3]) Cf. Wölfflin, Arch. lex. XII p. 219: „Durchschnittlich dürfte die Stellung hic-ille mehr dem klassischen Latein entsprechen, während für ille — hic (außer Curtius) Tacitus eine ausgesprochene Vorliebe besitzt". Quint. non minus saepe ille — hic scribit quam hic — ille. Quare non miremur, si per chiasmum mixta sint haec duo collocandi genera; cf. X 1,106 ubi in codicibus exstat: densior ille (Demosthenes), hic (Cicero) copiosior, ille concludit astrictius, hic latius, pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere, illi nihil detrahi potest, huic nihil adici, *curae plus in illo, in hoc naturae.* Wölfflin l. l. p. 240 (cf. Museum Rhenanum 47 (1892) p. 640) haud scio an recte postulet: *curae plus in hoc, in illo naturae.* Nam fortasse scriptor codicis ordinem (ille-hic) simpliciter secutus est. Et videtur Quintilianus Graecis scriptoribus plus ingenii et naturae tribuere, Romanis plus curae et diligentiae; cf. X 1,86, ubi comparantur Homerus et Vergilius: illi naturae caelesti ... (sc. Homero), curae et diligentiae ... in hoc (sc. Vergilio) plus est.

Geminatur autem frequentius h i c sensu quodam indefinito. Eam pronominis geminationem sermonis familiaris fuisse propriam Wölfflinus in illa disputatione, quae inscribitur „Die Gemination im Lateinischen“ (Sitzungsb. d. k. B. Ak. d. Wissensch. 1882 H. 1 p. 422—491) p. 434 A. affirmat. Usus hic inter scriptores solutae orationis primum occurrit apud Auctorem ad Her., tum apud Ciceronem in uno tantum libro, quem adulescentulus omisit, de inv. I 99. Legitur praeterea Cic. fam. IX 16,4, ubi vox Servii affertur, Sen. ep. XIII 3,37, Petr. 79. Deinde vero locutioni illi maxime Quintilianum studuisse adnotat Wölffl. in Arch. XII p. 250 et exhibet ex inst. or. haec exempla: VI 1,3; ibid. 4; IV 4,8. Adde: VII 8,6 an quia hoc, et hoc; 3,9 interim quaeritur 'hoc an hoc' . . .; ibid. 3,10 an et hoc et hoc eodem modo sit appellandum. At in hoc familiaris sermonis genus non incidit IX 4,129, ubi Meister secundum Spaldingium recte scripsisse mihi quidem videtur: '*hac et illac* fluit'.[1]) Quamquam enim exstat in cod. T [2] *hac et hac,* tamen illam lectionem veri similiorem esse cognoscemus, si comparabimus: XII 10,62 *huc atque illuc* sequetur; X 7,6 velut salientes *huc illuc*; cf. Ter. Eun. 105 *hac atque illac perfluo.*

Quicumque apud optimos scriptores exceptis illis locutionibus 'quocumque modo, quacumque ratione' vim semper fere relativam habet. Sed cum poëtae aetatis Augustanae huic voci magis magisque indefinitum subicerent significatum, eos secuti sunt posteriores. Ita apud Quintilianum quoque non solum quicumque vi indefinita occurrit, sed etiam alia pronomina relativa. — Cf. Schmalz, L. Synt. p. 626 [4] et Antib. s. v. v.

Longe frequentissime *quicumque* sic legitur per omnia genera omnesque casus. Sufficiant huius usus haec exempla: II 17,10 sermo quicumque; V prooem. 5 quaecumque alia (pars); I 12,5 cuiusc. artis; ibid. 9,3 cuic. discendo sufficiet; ibid. 10,35 cuic. erudito; X 1,12 quoc. telo; IV 2,37 in quemc. etiam indoctorum; II 21,1 quac. de re: IX 4,100 ex quoc. pede; v. Bonn. lex. s. v.

Qualiscumque: IX 1,10 qu. forma; 3,47 qu. adiectio; XII 10,74 qu. eloquentia (tum respondet: *vox omnis*); XI 1,14 hoc qualecumque discrimen; IV 2,74 omnia haec qualiacumque; II 2,10 invicem qualiacumque laudandi; XI 1,73 in qualicumque persona; XII 11,4 neque erant illa *qualiacumque* mala, sed *minora.* — Cic. Fam. IV 8,2 qualemc. locum; Att. IX 6,4 qualic. consilio.

Quantuluscumque V 2,5 inventa quantulacumque causae differentia.

Utercumque III 6,29 utrocumque modo; cf. XII 10,59 utroc. nomine; VI prooem. 11 in utracumque lingua.

Ubicumque X 7,28: quidquid loquemur ubicumque; cf. VII 4,18.

Utcumque Livio praeeunte sic usurpatur: II 5,11 quae utcumque deflexa sunt; ibid. 3,4 utc. tolerabilis; III 6,6; 11,25; IV 1,21; XI 2,24. — Vell. II 67,1. Plin. min. Tac.[2])

---

[1]) Wölffl. l. l. p. 250 scribi vult *hac et hac.*

[2]) cf. Dräger l. l. p. 9: „Zuerst bei Liv. XXIX 15, dann bei Ov., Plin. min. und Quint.“ Adde Vell! Cf. Schmalz, Antib. s. v., ubi laudatur etiam Curt. VIII 2,34 et Suet. Tib. 11.

Quisque est *uterque* IV 2,97: pro se quaeque (antecedit: utraque pars) defendat; X 1,87 elegantes in sua quisque materia (sc. Macer et Lucretius). cf. Schmalz, L. Syntax p. 628[4]. Dräger, Synt. d. Tac. p. 6.

Quilibet *unus* V 10,117, I 12,7 una res quaelibet; V 10,67 unum quodlibet; cf. XII 1,44; — XI 2,48 unius cuiuslibet; X 1,1 qualibet earum rerum una.

Unus aliquis II 21,3. v. Bonn. lex. s. v. aliquis II γ. Cf. Schmalz, Antib. s. v. unus.

Vix ullus = vix quisquam X 1,40. Contra quisquam adiectivi loco ut ullus usurpatur de rebus: X 2,6 qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum. cf. IV 1,10 in quemquam hominem ordinemve. Cf. Cic. fam. III 10,6 (cuiquam legationi); Plaut. mil. glor. 1055; Most. 608; Tac. dial. 29; Suet. Caes 59; Dom. 13. — V. Reisig-Haase, Syntaxis Nota p. 72 sq. — Schmalz, Syntax[4] p. 624 sq.

Suum ipse: De tali usu v. Schmalz, L. Syntax[4] p. 621. Apud Quintilianum occurrit II 15,8 suis ipse manibus; X 1,103 suis ipse viribus minor; ibid 5,2 sua ipse persona. Genetivum *ipsius* vel *ipsorum* post suum nusquam legi. De Tacito cf. Dräger l. l. p. 7. Cf. Verg. Aen. XII 638 'vidi oculos ante *ipse meos*'.

De brevitate illa 'quis ille' adde apud Draegerum l. l. p. 7 ex Cicerone hunc locum: Pro Pis. 1,1 (Quint. IX 4,76) qui(s) hic illuxit dies? Cf. Inst. or. IV 1,64 qua tanta superstitione prohibeamur = quae tanta superstitio est, qua prohibeamur?

§ 5.

De adverbiorum et coniunctionum usu.

Adhuc pro etiam saepissime comparativo adiungitur, ut I 5,22; II 4,13; 15,28; 29; 16,18 et passim. Curt. Sen. Tac. Mart. Suet. Cf. Reisig-Haase l. l. p. 169 nota 401. — Praeterea adhuc etiam iis adiectivis et verbis appositum reperitur, quibus inest vis quaedam comparativi: II 21,6 adhuc alibi; III 6,21 alius adhuc; III 6,53 adhuc novus; abundanter dicitur V 7,12 in iis quoque adhuc; cf. XI 2,29.[1]) VI 3,64 tertium adhuc; III 8,33 crescit hoc adhuc; II 16,18 adhuc augeri potest; V 14,18 variare adhuc; VI 2,1 adhuc superest; VI 2,12 adhuc adicio; cf. XI 1,48; 2,1. VII 1,62 adhuc dividere = noch weiter teilen. Eodem sensu etiam insuper usurpatum legimus: IV prooem. 1 novus insuper; cf. VI prooem. 3; II 15,13 et illud vitium . . . et insuper e. q. s. VIII 6,70 alia (sc. translatione) insuper addita;[2]) cf. Plaut. Truc. 5,12 hoc addam insuper; Verg. Aen. II 593; XI 107; XII 358; Hor. sat. II 4,68; Ov. Met. VII 273. Liv. Tac. Suet. — Denique adhuc ponitur 1. pro etiamnunc de rebus nondum transactis, appositum adiectivis et participiis; I 1,35 res adhuc tenues; 1,27 adh. rudia ingenia; XII 5,3; VI 2,7. 2. pro etiam-

---

[1]) adhuc etiam I 12,11; IX 2,107 (Bonn. lex. falso IX 3,107). Gaius. V. Kalb, Roms Juristen, Leipz. 1890 p. 76.

[2]) Similiter Caes. (de loco) B. G. VII 23,3 alius insuper ordo additur.

tum de rebus iam finitis[1]): VIII 3,34 adh. vetabant; VI 2,35 vidi ego saepe . . . flentes adhuc egredi; X 3.13 scholae adhuc operatum (cf. Vell. II 7,1 viva adhuc matre Cornelia; ibid. 22,5; 103,3); IX 4,16 in quantum adhuc profecerant = usque ad illud tempus. 3. de rebus futuris IX 3,87 adhuc erunt, qui putent; VIII 3,58 adhuc spargetur omnibus locis. Liv. XXXIII 49,7; Tac. ann. III 26; 42; Suet. Tit. 11; Nero 38.

Alioqui, vox a Quint. valde amata, multiplicem apud eum habet significationem, adhibetur enim 1. pro cetera (ceterum) = aliis in rebus, ut II 1,4; 4,12; III 6,53 (lex. Bonn. falso habet 6, 5, 3); X 1,64; 1,128 v. Bonn. lex. s. v. 1 *a*. — 2. Porro est praeterea: II 15,9; IV prooem. 6; 2, 11; 5,3; V 9,11 (Cels. Plin. min.). „*Auch* sonst", „*auch* im übrigen" II 14,4: cum praesertim plurimis alioqui Graecis sit utendum. *Et alioqui* — *et* idem fere valet quod apud Livium cum alioqui — tum: XII 1,43 Rufinum et alioqui malum civem et sibi inimicum; cf. XII 10,17 Asiana gens tumidior *alioqui* atque iactantior vaniore *etiam* dicendi gloria inflata est. Legitur *et alioqui* IX 2,88. Cf. Schmalz, Antib. I p. 139 [7] s. v. ad extremum. — 3. Occurrit etiam sensu condicionali = aliter, quod nisi ita esset, ut II 9,3; 10,7 et passim; v. Bonn. lex.[2]) — 4. Denique invenitur alioqui pro alio tempore = antea VI prooem. 15 si quid mediocrium alioqui in nostro ingenio virium fuit. — Num apud Ciceronem ea vox adhibeatur, viri docti dissentiunt.[3]) Primum usurpasse eam videtur Lucretius, aut si Ribbeckium sequimur, Hor. sat. I 4,4; 6,66.

Aliquatenus, quod vocabulum apud Sen. Col. Petr. Suet., nusquam apud veteres scriptores, reperitur in Instit. or. haud raro legitur: III 9,5 aliquatenus novare; IV 1,57 aliqu. mutare; cf. VIII 5,29; XI 1,28; 3,78; 3,137. Etiam comparativo adiungitur pro aliquanto X 1,74. aliquatenus lucidior. XI 3,97 aliqu. liberius.

Certe pro *quidem* ponitur in exemplis introducendis: ego certe VIII 3,65; IX 4,57. mihi certe X 3,23; Cicero certe X 6,4; certe Fabricius XII 1,43; qui certe XII 1,22; indicem certe X 1,57 etc. (cf. Verg. eclog. 9,7 certe equidem). cf. II 10,6 sed certe sint grandia et tumida (certe = du moins! v. Schmalz, Antib. [7] s. v.), non stulta etiam et . . . ridicula.

Ceterum = sed, verum: I 5,25; VI 1,8; VIII 3,41; XII 10,47. v. Bonn. lex. s. v. Dräger l. l. p. 8 dicit: „Öfter bei Sallust, auch bei Livius, fehlt bei Cicero und Cäsar". De Suet. v. Bagge l. c. p. 64.

Demum apud Quintilianum non modo propria significatione temporis usurpatur, verum etiam pro tantum: I prooem. 3 alienis demum vestigiis insistere = nur in fremden Bahnen wandeln; II 15,1 nomen bonis demum tribui volunt; IV 5,7 ex necessitate demum; I 4,11 duabus demum

---

1) Cf. Schmalz, Antib. [7] I p. 90 sq.

2) Adde: V 14,17 Halm scripsit: '*alioqui* (aliqui AM; aliquid G; ad quod PV) *sufficiunt* intentio ac ratio'; quae lectio maxime convenit Quintilianeo dicendi generi; cf. etiam V 7,7 *sufficiebant alioqui* libri duo etc. Iure igitur Meister et Radermacher illum secuti sunt.

3) De hac quaestione copiose disputat H. S. Anton: Studien zur lateinischen Grammatik und Stilistik. Erfurt 1888, III p. 21 sqq.

vocalibus. Alia exempla huius usus v. Bonn. lex. s. v. Atque etiam *non demum* legitur pro *non tantum, non modo*: VII prooem. 1 neque ea demum, quae ad docendum pertinent, exsecuti sumus, verum etiam motum animorum tractavimus. cf. ibid. 10,16; IX 2,105 non is demum — sed etiam. — (Col. Suet. Aug. 24. Trajan ad Plin. ep. 10,33).

Et creberrime ponitur pro etiam cf. I 10,37; III 6,68; V 11,5; v. Bonn. lex. s. v. et II. *Est et* amarum quiddam VIII 3,89; cf. I 7,9; X 1,34; IV 5,24; V 9,14. — *sed et* IX 3,96; X 1,107; IX 4,58; III 5,18; X 5,4. — verum et I 10,37; 38; 39. — et ipse II 5,23; 21,23 et crebro. (Bonn. lex. s. v. ipse). — quin et legitur III 8,14: quin et Cicero in hac maxime parte versatur. cf. VII 4,17 *quin* Cic. *quoque* pro Q. Ligario idem testari videtur. VIII 4,24 *quin* ex instrumento *quoque* e. q. s. De hoc usu v. Anton l. l. I p. 26 sqq. Schmalz, Antib. I p. 520 ⁷ sq.

Inde[1]) vi *causali* subiecta: I prooem 14; I 5,60; VI 2,8; XII 1,12 et passim. — inde, quod III 2,2; VIII 2,12. cf. Peterson ad X 1,94. — Cic. Mur. 12,26; Ov. Met. II 152; Hor. sat. II 1,62; Liv. Mart. Plin. min. ep. et pan. De Vell. v. H. Georges, De elocutione M. Vellei Pat., Lips. 1877 p. 67. (Vell. II 22,5 scripsit Halm: fieret *is* nocens). — Inde — hinc occurrit II 2,5: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. V 7,32; XII 1,40. Cf. Plin. N. H. Mart. Tac. Aur. Vict. Suet.

Interdum — *interdum*[2]) pro modo — modo invenitur IV 2,14 et VII 2,9. Saepissime autem Quint. sic usurpat interim — interim, quod ante eum apud neminem scriptorem occurrit, post eum Traian. ep., Minuc. Fel., Gell. cf. I 7,11; II 15,11; V 7,15 et passim.[3]) — Etiam aliquando — aliquando ita adhibetur (cf. Sen. phil.): V 13,58; VII 2,8; 4,41; XI 3,163 cf. VIII 5,4; adde IV 1,72. — Praeterea: nonnumquam — nonnumquam IV 1,20 (Cels); alias — alias: I 5,29; III 7,15; VII 2,9; XI 3,1; 3,37; XII 1,39; adde VIII prooem. 9; nunc — nunc: II 13,4; V 13,13; modo — modo: V 13,46; VI 3,55; VIII prooem. 9; IX 4,3; XI 1,23; tum — tum quater decies invenitur, ut VII 3,4; 3,18; IX 4,133 septies positum est; in parte — in parte V 7,22; XI 2,34. — Cum variatione: interim — interdum IV 2,19; VI 2,12; VII 4,13—14 interdum — interim; aliquando — aliquando — nonnumquam VIII 5,4; aliquando — interim — interim IV 2,83; interim — nonnumquam — *saepe* IV 5,20; saepe — nonnumquam II 4,19; cf. VII 4,15; plerumque — saepe IX 3,3; plerumque — nonnumquam VIII 3,5 (plerumque — plerumque quarto demum saeculo p. Chr. n. reperiri Wölffl. l. l. affirmat); aut — aut — vel III 6,72; VII 4,29; VIII 6,68; *aut* — *interim* V 13,28; aut — aut — aut etiam — nonnumquam et VII 4,9.

---

[1]) V. Schmalz, Antib. s. v.

[2]) Cf. Wölfflin, Arch. lex. II p. 233 sqq. et p. 616.

[3]) Interim varie usurpatur apud Quintilianum. Significat enim non solum *interea* I 5,6; 12,6; XI 1,54, sed etiam i. q. „einstweilen, vorläufig" cf. I 5,6; 8,5; 10,27; II 4,3; v. Bonn. lex. s. v. Tac. Dial. 18; ann. I 4; XIV 41. Plin. ep. II 5,9; X 2,7. — Aliis locis adhibetur pro *interdum* cf. I 1,8; 1,20; 2,4; 10,6; v. Bonn. lex. s. v. V 14,32 citatur locus Ciceronianus: „gladium nobis *interim* ab ipsis porrigi legibus". At Cic. pro. Mil. IV 10 habet *aliquando*. Cf. etiam *Landgraf*, *Cic. Rede f. Sex. Rosc. aus Am. p. 282 sq.* Sen. phil. Plin. ep. Flor. — Denique idem fere valet quod *tamen*: I 5,29; III 8,44 Plaut. Plinii duo. Sen. rhet.

Igitur saepius initio sententiae collocatum invenitur: I 1,1; V 12,22; 14,1; 14,26, in syllogismo: igitur et pecuniam ... legavit; v. Bonn, lex. s. v. Cf. I 5,39: ex quo genere (transmutationis) an sit 'igitur' initio sermonis positum dubitari potest, cum apud alios sit etiam frequens, apud alios numquam reperiatur. V. Schmalz, Antib. s. v.

Itaque non raro secundum obtinet locum. V. Bonn. lex., ubi duodecim exhibentur loci; adde VII 2,45.

Mox in enumerando invenitur: I 2,29 primum — mox; I 9,2 primum — mox — tum; X 6,3 primum — tum — mox.

Longe pro multo sequente comparativo [1]) VI 3,13 longe venustiora; ibid. 4,21 l. facilior; X 1,67 l. clarius — utiliorem l.; ibid. 70 l. magis. Poët. Bell. Alex. 46,4; Bell. Hisp. 7,5; Sall. Liv. Vell. Val. Max. Curt. Sen. phil. alii. — Contra *multo* sequente superlativo I 2,24 m. pulcherrimum; II 10,1 m. (est) utilissima; [2]) IX 4,26 m. optimum, ibid. 72 m. foedissimum; cf. X 1,41 nec multo aliud. De Cicerone v. J. H. Schmalz apud Vollmöller, Kritischer Jahresbericht über die Fortschritte der rom. Philol. VI 1899—1901 p. I 76: „Wenn auch Stangl bei Cic. de or. 3,92 non m u l t o e s t m a i u s liest, so ist doch hier ebenso sicher m u l t o zu lesen wie Fam. 3,11,1 permulto ante".

Namque secundam obtinet sedem I 10,34; II 4,6; VIII 6,71; IX 2,29; 4,32. Catull; Varro L. L., Sall. Liv. Val. Max. Col. Curt. Petron. Plin. mai. Tac. Dial. 19; ann. I 5; IV 21; Suet. Galba 5. poster. V. Schmalz, Antib.[7] s. v.

Nec pro ne—quidem passim in Instit. or. invenitur. Multos locos collegit Bonn. in lex. s. v. neque, multi sunt addendi, ut I 6,42 quae nec ipsi iam dicerent; II 17,42 nec illa omittenda sunt; IV 2,93; V 10,119 alioqui nec tradidissem; VII 3,16; IX 4,7 quando res nec ulla sine arte satis valeat; XI 3,2. Cf. Schmalz, Antib.[7] s. v. nec.

Nonnisi: Hae particulae nonnumquam ita sunt collocatae, ut concrevisse in unam videantur: I 5,19 illa vero *non nisi* aure exiguntur; V 10,115; X 1,20; X 3,29 si *non nisi* refecti, *non nisi* hilares, *non nisi* omnibus aliis curis vacantes studendum existimarimus. Cic. Verr. I 98;

---

1) Cf. E. Wölfflin, Lat. und romanische Komparation, Erlangen 1879 p. 38sq.

2) Legimus X 1,94 m u l t u m ⟨eo⟩ est tersior ac purus magis Horatius (Sic Halm et Meister). Wölfflin l. c. p. 38 non omnino reicit multum, sed adnotat haec: „Bei der Unsicherheit der Überlieferung und in Anbetracht dessen, daß die unmittelbar folgende Periode mit multum beginnt, . . . fällt es schwer ein bestimmtes Urteil zu geben, ja ich würde vermuten, Quint. habe geschrieben m u l t o t e r s i o r o h n e Kopula". At cf. II 10,1 multo *est* utilissima, ubi multo dirimitur a superlativo sequente. Porro iam ille ipse contulit XII 6,1 m u l t u m ante. Potuit autem adicere etiam p a u l u m ita a Quintiliano adhiberi; cf. XI 3,139 p a u l u m c i n c t i s s u b m i s s i o r; ibid. 3,63 paulum in invidia facienda lentior; ibid. 3,166 paulum inferior; I 7,21 p. superiores (Ceteris locis p a u l o sic usurpatur). Et quod enuntiatum insequens ab ipso vocabulo m u l t u m incipit, apud Quintilianum similia haud raro inveniuntur. Cf. XII 1,35 et 36, ubi bis v e r u m e t, VII 4,24 et 25, ubi bis n a m e t, X 2,10–12, ubi ter a d d e q u o d deinceps introducit sententias. Ergo verisimillimum esse putem Quintilianum scripsisse m u l t u m e o e s t t e r s i o r. — A. Marty l. c. p. 24 confert Stat. Theb. IX 559 et Juv. X 197.

Ov. Trist. III 12,36; Cels. Plin. mai. et min. Sen. ep. Tac. Suet. Amm. V. Schmalz, Antib.[7] s. v. nisi.

Olim insolenter pro iam diu ponitur apud scriptores post Augustum, ut Sen. Plin. N. H. Tac. ann. XII 66. Suet. Cf. Quint. V 12,17 *olim iam* ab illa vera imagine orandi recesserunt.

Porro frequenter sensum adversativum habet = vero, autem. I 5,46 (cf. Spalding in ed. sua Lips. 1798—1829 ad h. l.); saepissime occurrit *ego porro,* ut II 3,5; III 3,5; nos porro, ut XII 3,8; hic porro XII 8,6; cui porro XII 10,39; ea porro V 10,24; in omnibus porro V 10,32; quid porro XII 11,6. Cf. Bonn. lex. s. v. V. Schmalz, Antib.[7] s. v. Cf. *porro autem* apud Sallustium; Juv. IV 240.

Que—que in duplici enuntiato relativo adhibetur: I 8,16 figuras *quaeque* λέξεως *quaeque* διανοίας vocantur; III 6, 89 *quodque* rerum *quodque* scripti contemplatione constat; ibid. 7,10 tempora, *quodque* ante eos fuit *quoque* ipsi vixerunt; cf. II 5,7; II 13,11; VII 2,46; XII 11,8. V. Schmalz, Antib.[7] s. v. ad extremum.

Quoque non = ne — quidem occurrit I 2,12 lectio quoque non omnis; VII 4,7 Latini hoc quoque non ad verbum transferunt. Cf. Schmalz, Antib.[7] s. v. etiam, ubi afferuntur Cic. inv. II 59; Caes. B. civ. 3,37,2; Liv. Tac. Gell. Adde Quintilianum!

Saltem: non saltem = ne — quidem haud raro invenitur in Instit. or. Bonn. lex. s. v. citat hos locos: I 1,24; X 2,15; 7,20; XII 11,11. Adde: V 1,4 neque enim de omnibus dicere quisquam potest saltem praeteritis, ut taceam de futuris; VI 2,19 nihil superbum, nihil elatum saltem ac sublime (i. e. ne elatum quidem quicquam aut sublime), desiderat (sc. genus dicendi); gradatio ad maius continetur VI 5,1: ut *ne* a sententiis *quidem* aut verbis *saltem* singulis possit separari (sc. locus). — Liv. Tac. (cf. Draeger ann. III 5). Plin. pan.

Utrimque de diversis causae partibus dictum reperitur, ut V 7,34 aliquando utrimque sunt testes; cf. ibid. 32; 10,81 alia sunt non necessaria vel utrimque vel ex altera parte. V. Bonn. lex. s. v. Lucr. V 839; Hor. ep. I 18,9; Tac. hist I 14.

§ 6.
De verborum usu.

Poetae saepe priscorum more verbum simplex ponere solebant, ubi probati sermonis auctores compositum adhibuerunt, qui usus etiam apud solutae orationis scriptores aetate argentea viguit. Huius generis exempla apud Quintilianum haec fere inveniuntur: *cedere* = concedere V 7,2 (non cedere quominus); cf. cedere ut Liv. VI 42,3; Tac. ann. XII 41. — *cludere* saepe legitur; v. Bonn. lex. adde; VI 1,52; IX 3,62. Occurrit VI 3,50: nec clusum[1]) neque signatum esse cf. Cic. de or. II 248: nec obsignatum nec obclusum. — *se commodare* singulis = accomodare II 8,4;

---

[1]) Sic recte, ut videtur, Radermacher; cf. Marty l. c. p. 61 adnot; *occlusum* scripserunt Halm et Meister.

cf. Sen. ben. II 34,2. — *crebrescere* = increbrescere XI 3,111; cf. Verg. Aen. XII 222; Tac. — *ducere* = conducere, inducere, obducere: XI 3,75 tristitiae quoddam nubilum ducere; cf. Ov. Met. I 572 nubila conducere; ibid. VII 202 nub. inducere. Sed IX 1,21 ducere est adducere: iam vero affectūs nihil magis ducit. Cf. Spalding ad h. l. „Usus hic ducendi non adeo tritus pro adducendo simile quid habet in Hor. ep. 14,3 et Tib. I 1,65 poculis vel aquis somnum ducentibus". Adicere poterat Ov. Met. II 735 ducere somnos. — *ferre* = efferre X 1,99 Caecilium veteres laudibus ferant. Cf. Nep. Liv. Tac. ann. II 13; Plin. ep. Suet. — *finire* = definire (cf. 'finem facere' infra!) frequentissime occurrit. V. Bonn. lex. s. v. Praeter locos ibi collectos afferendi sunt hi: III 5,17 causam finit Apollodorus . . . ita e. q. s. ibid. 18; VI 3,104; IX 1,4. Tamen Quint. non utique repudiat definire, (cf. VII 3,16), quo verbo hac significatione semper utitur Cicero, — *ponere* = exponere: IV 2,86 causam p. Cf. Hor. sat. I 7,22 Persius exponit causam.[1]) — *solari* = consolari: I 10,16 singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur; cf. Dräger l. c. p. 10 (§ 25), qui dicit: „hist II 48; ann. I 14 u. v., auch Plin. ep. 8,11, sonst nur bei Plautus und klassischen Dichtern". — *spargere* = dispergere: V 7,18 sparsa plerumque colligimus argumenta. cf. II 12,3 alibi. Poëtae. Liv. Plin. N. H. Tac. — *tenere* = obtinere intransitive legitur II 1,1 tenuit consuetudo, ut cf. VIII 5,2. Liv. V. Naegelsbach-Müller Lat. Stil[9] § 112 (p. 475 sq.) et Schmalz, Antib.[7] s. v. durare I 482. — *vanescere* = evanescere IV 3,8: cavendum est, ne ipsa expositio vanescat. Poëtae. Tac. dial. 10; hist. V 7.

Frequentissime invenitur apud Quintilianum verbum *faciendi,* ubi compositum vel aliud verbum exspectaremus. Haec autem consuetudo propria est prisci et vulgaris vel plebei sermonis nec raro etiam apud poëtas occurrit. Cf. Schmalz, Antibarb. s. v. facere I p. 568 sqq.[7] et Naegelsbach-Müller Stil[9] § 105 p. 454 adnot. Libris hic laudatis adice: Heraeus „Die Sprache des Petronius und die Glossen", Progr. Offenbach 1899, qui p. 36 hoc verbum appellat „dieses Mädchen für alles". Ex Instit. orat. exempla afferenda maxime videntur haec: I 3,11 odium f. (= conflare); I 7,2 intellectum alium atque alium f. (= efficere); cf. I 10,43 idem spatium extremitatis f.; II 4,17 huius sibi rei naturam faciat; II 5,2 legem f. X 3,10 moram (proximo enuntiato exstat robur f.); cf. XI 2,45; X 7,32; 3,32; VI 1,40 risum f. (= movere, excutere); ibid. 2,26 f. alicui eloquentiam (item 2,27); ibid. 3,19 sitim. III 1,16 viam f. cf. XII 10,61 ripas; IV 1,46 aditum sibi ad aures f. — Legitur etiam *differentiam f.* XII 10,17 (Schmalz, Antib. I 571 Hieronymo demum hanc locutionem tribuit); cf. XI 1,43 discrimen f. — Reperitur porro *facere ad, in aliquid,* quae constructio et poëtis usitata est et in arte medicina pro t. t. cf. Antib. I 572 et Georges-Mühlmann, Thes., s. v. E II 1 b, ubi ex compluribus scriptoribus exhibentur exempla, Quint. omittitur. Tamen v. V 13,57 alii (sc. loci) ad comparationem singulorum

---

[1]) ponere apud Tacitum = proponere hist. I 7; IV 27. — *Scidit* deinde *se* studium I prooem 13; cf. Verg. Aen. I 161; 587.

argumentum faciunt etc.; X 5,11 in hoc optime facient infinitae quaestiones; X 1,33 non bene facere ad forensem pulverem; II 12,10 mire ad pullatum circulum facit (verte: kann „Wunder tun“ vor einem gewöhnlichen Publikum); cf. XI 3,171 et 173, IX 1,21 *plurimum* ad commendationem *facit*; cf. XI 3,122 *facit* enim *aliquid* et totius corporis motus; ibid. 2,30 *multum* signa *faciunt*. X 1,14 idem facere = idem valere. — Dubium f. I 10,30 (= in dubium vocare cf. VII 2,2 in dubium venit); VII 1,58; palam f. XII 11,29; fortiter f.[1]) (= se gerere) V 11,10; VII 1,42; IX 2,85 (bis) cf. Ov. Met. XIII 236; Curt; Treb. Poll. trig. tyr. 12; Claud. 12; Amm. — Denique facere aliis verbis opponitur, ut V 13,3 *facere* quam *sanare* vulnera facilius; VI 2,21 metum . . . quem *patimur* et quem *facimus;* XII 7,1 *defendere* quidem reos profecto quam *facere* vir bonus malet; ibid. satis virium facere; cf. XII 11,16 vires cito facit, cum fecit, tuetur (sc. exercitatio). Postremo monuerim locutionem illam *finem facere* apud Quintilianum duplicem habere sensum: 1. i. q. finire, finem imponere, ut II 18,3 cum genetivo gerundii: qui curandi fecerit finem; cf. XII 11,1. 2. i. q. definire, ut II 15,6 (Cicero) finem facit persuadere (Definieren als, als Endzweck aufstellen); ibid. 15,10 quem finem Gorgias . . . facit (Diese Definition stellt er auf).

Memoranda est hic significatio verbi *orandi,* quia in Institutione oratoria semper idem fere valet quod *loqui, dicere,* apud Ciceronem[2]) autem omnibus fere locis vim habet verbi *petendi, supplicandi*: Heerdegen, l. c. p. 76 notat apud Quintilianum exceptis duobus locis X 5,18 et X 1,16 formas semper verbi infiniti reperiri sive gerundii (27 loci) sive participii (2) sive infinitivi (2) praes. act. Hic quasi t. t. in rhetorum scholis post Senecam rhet. et Quintiliani demum temporibus in usum venisse videtur.

Peroratio.

In delectu igitur atque usu vocabulorum Quintilianum mores argenteae aetatis scriptorum secutum esse vidimus. Non pauca enim ex poëtis, alia ex sermone vulgari, alia ab aequalibus ficta desumpsit vel mutata significatione in usum suum convertit, alia eaque non ita multa ipse novavit, maxime in transferendis Graecis verbis. Jam nonnulla genera, quae in vocabulis formandis poëtae et scriptores illorum temporum valde amabant, conferam.

Ac primum quidem invenias plurima *verba incohativa* cum praepositione *in* composita. Apud Quintilianum occurrunt: inardescere, increscere, indurescere, insenescere, intabescere, inarescere, inhorrescere. — Item in consuetudine poëtarum et illorum scriptorum sunt verba cum praepositione *ex* composita. In Institutione oratoria notanda sunt haec: emereri = mereri, everberare = verberare, evalescere = valere, expavescere = pavere, exhortari = (co)hortari, emutare = (com)mutare, exundare = abundare.

---

[1]) Haec locutio etiam allitterationis causa scriptori placuisse videtur; cf. IV 1,33 faciunt favorem; XII 5,5 frequenter famam ingenii facere; XI 2,46.

[2]) Cf. F. Heerdegen, Untersuchungen zur lat. Semasiologie III, Erlangen 1881 p. 37 sqq.

Tum Cicero aliique magnum numerum adiectivorum praefixa praepositione *per* formaverunt; huius generis apud Quintilianum ne unum quidem exemplum[1]) legitur, sed particula *prae* eodem sensu ac per vel superlativus usurpatur. Cf. praedulcis, praedurus, praelongus (Cic. Att. 5,20 *per*longus), praepinguis, praecultus, praetenuis (Cic. *per*tenuis), praesumptus, praevelox, praemollis. Pari modo etiam verba finguntur: praeloqui, praetemptare, praevalere, praeverti, praecogitare, praeformare, praeformidare, praemodulari, praemollire (cf. praesumptio, praelectio etc.).

Tali vocum fictione brevitas quaedam appetitur nec minus particula privativa *in* praeponenda, ubi Cic. negationem *non* adhibuit. Cf. inconcessus, incredulus, indiscretus, inordinatus, interritus[2]), indistinctus, insalubris, inscriptus, inspoliatus, inconveniens (v. sequentia adiectiva!).

Maior est copia adiectivorum in *bilis* exeuntium, quae et poëtis et philosophis et iurisconsultis usitatissima tum quasi efflorescebant. Reperiuntur in Inst. or. haec fere: durabilis, enarrabilis (inen.), venerabilis, favorabilis, incomparabilis, indubitabilis, inemendabilis, inexplicabilis, inexpugnabilis inimitabilis, insecabilis, observabilis, possibilis (impossibilis), insolubilis, persuasibilis.

Suffixo *ivus* haec adiectiva Quint. duxit a verbis: administrativus II 18,5; effectivus ibid.; exhortativus III 6,47. At alia huius generis vocabula, velut *infinitivus* (sc. modus) et *deminutivus*, quae formae apud grammaticos inferioris aetatis in usu sunt, nondum inveniuntur apud Quint., qui. ubi opus est, brevioribus illis participiis utitur: *infinitum* et *deminutum*.

Denique amat Quint. formata in *alis*[3]) adiectiva, velut extemporalis, inaequalis, incorporalis (incorporeus ap. poster.), irrationalis (irrationabilis ap. poster.), normalis, specialis, artificialis, participialis, perpetualis, pluralis, universalis.

Adiectiva in *osus* cadentia, quamvis multa usurparet, Quint. non novavit quidem, sed compluribus translatam significationem indidit. Dicitur enim *superstitiose* pro *nimis sollicite*, articulosus, cicatricosus, sinuosus de oratione. Argumentosus primum legitur Quint. V 10,10 neque vero ipse finxit; cf. l. l. *vulgo* paulo numerosius opus dicitur argumentosum. *ἅπαξ εἰρημένον* est ructuosus IV 2,123, quod vocabulum M. Caelio tribuitur.

Deminutiva nomina permulta reperiuntur in Inst. or. Primum occurrunt peculiolum I 5,46 (reprehenditur 'magnum peculiolum'); narratiuncula I 9,6; sensiculus VIII 5,14; inventiuncula VIII 5,22; venula iam ap. Cels. proprie, sed ap. Quint. translate usurpatur XII 10,25.

Facillime substantiva in *tor* et *trix* desinentia cum omnibus sae-

---

[1]) IX 4,65 nunc *prae*mollis legitur, non *per*mollis.

[2]) Cf. I 5,65: Compositae (sc. voces) praepositionibus subiunguntur, ut 'innocens' *dum ne pugnantibus inter se duabus*, quale est '*imper*territus'. Ipse habet XII 11,11 'iter *imper*vium', non *invium!*

[3]) Radermacher in ed. sua scribit omnibus locis *iuridicalis* (*iuridicialis* ceteri). Cf. etiam Ed. Ströbel, Tulliana, München (Progr.) 1908 p. 30!

culis tum maxime inferiore aetate derivata sunt.[1]) Kindischer, Zeitschr. f. Gymnasialwesen XIV p. 427—429, substantiva 290 in tor et 44 in trix exeuntia apud Ciceronem reperta numeravit. Ex his 73 in tor et 8 in trix a Quintiliano usurpantur, praeterea 28 in tor et 8 in trix cadentia, quae non sunt apud Ciceronem, leguntur. Primum occurrunt: affectator V 13,24 regni; VI 2,16 libertatis; ibid. 33 risus. — altercator VI 4,10; 15. — consultator VI 3,87. — cavillatrix II 15,25 et VII 3,14 (=Sophistik). — disputatrix II 20,7; XII 2,13. — elocutrix II 14,2. — enuntiatrix et iudicatrix II 15,21. — exercitatrix II 15,25. — sermocinatrix III 4,10. Ex his *disputatrix* et *sermocinatrix* ab ipso novata sunt, ut apparet ex verbis additis; contra *enuntiatrix* et *iudicatrix* ex schola Theodori Gadarei originem duxerunt, *exercitatricem* autem interpretati esse videntur quidam γυμναστικήν; cf. Dräger, Synt. d. Tac., p. 3. Goelzer, Latinité de St. Jérome, p. 45 sqq.

Denique notandum videtur Quint. etiam *in nominibus propriis* scribendis argenteae aetatis scriptores esse secutum, quod nomen gentile crebro secundo ponit loco: cf. Pollio Asinius VI 3,110; VIII 1,3; Bassus Aufidius X 1,103; Censorius Cato IX 4,39; XII 1,35; 11,23; Pictor Fabius I 6,12; Celsus Cornelius III 6,38; Laenas Popilius XI 3,183; Gallus Sulpicius II 15,7; Longus Sulpicius VI 3,32; Afer Domitius VI 3,42; X 1,86; cf. X 1,80 Phalereus Demetrius; I 1,9 Babylonius Diogenes; Halicarnasseus Dionysius III 1,16; IX 4,88; Larissaeus Eurypylus XI 2,14. — III 1,10 *Prodicus Cius* et *Abderites Protagoras*. — Cf. Schmalz, Lat. Syntax, p. 694[4].

---

[1]) Schaumberger l. c. p. 260. Enumerat C. Paucker (Meletemata lexistorica altera, Dorpat 1875, I p. 52 sqq. et Vorarbeit z. lat. Sprachgeschichte, Berlin 1884, I p. 28 sqq.) 2294 vocabula talia, quorum tertia fere pars (779 voc.) ante Hadrianum in usu erat, cuius numeri Paucker circiter quartam partem (207 voc.) scriptoribus aetatis quae vocatur argenteae attribuit.

Pars II.

Venimus nunc ad eam dissertationis partem, qua tractaturi sumus *rationem syntacticam* Quintiliani. Ad cognoscendum autem eius sermonem sufficiat ea potissimum afferre, quae aut aliena sunt a veterum genere dicendi aut certe minus illis usitata.

Caput I.

De syntaxi congruentiae.

De numerorum congruentia nihil quidem proprii est notandum. Sed de generis congruentia haec fere referenda videntur:

Si praedicatum spectat ad plura (abstracta) *feminini generis,* Quint. eam sequitur regulam, ut pluralem numerum neutrius generis adhibeat.[2]) Ad hoc illustrandum haec afferam exempla: VI 2,11 quidam commendati*onem* atque excusati*onem* propr*ia* huius officii putaverunt; VII 4,31 quia fere *ira* et concitat*io* furori sunt simil*ia;* III 8,38 proinde intuend*a* sexus, dignitas, aetas. Cf. Schmalz, L. Synt. p. 341[4], § 32 ubi nominantur Sall. Liv. Tac. Just. Aur, Vict. Lact., omittitur Quintilianus, apud quem etiam *singularis* numerus neutrius generis semel sic invenitur: XI 1,76 tutissim*um* ergo praenitentiae confessio et satisfactio culpae. Sin autem praedicatum pertinet ad plura *varii generis* substantiva, verbi genus accommodatur ad genus substantivi proximi[3]) cf. V 9,14 Spuri Maeli Marcique Manli popularitas sig*num* affectati regni est existima*tum.* IX 3,100 neglec*to* rerum *pondere* et viribus sententiarum. Cf. Kühner l. c. II § 12,7.

Pronomen demonstrativum et relativum si pertinet ad substantivum feminini generis, plerumque suscipit neutrum genus: II 15,3 quod ego vim appello; (cf. Tac. ann. IV 38 *quod* alii modest*iam* — interpretabantur); IX 2,27 quod exclamationem quidam vocant; cf. IX 3,90 hoc enim puto, quod dicitur *ἐναντιότης*; IX 3,71 Cornificius hoc traductionem vocat

---

[1]) Adiumenta praecipua: A. Dräger, Hist. Syntax d. lat. Sprache. Leipz. 1878—79[2]. — R. Kühner, Ausführliche Grammatik d. lat. Sprache. Hannover II 1878—79. — Reisig-Haase, Lat. Syntax nach den Vorles. über lat. Sprachwissensch., neu bearbeitet von Schmalz und Landgraf, Berlin 1884—88. — Golling-Landgraf, Hist. Gramm. d. lat. Sprache III 1 Leipz. 1903 — Stolz-Schmalz, Lat. Grammatik, München 1910[4].

[2]) At cf. XII 1,6 quid putamus factu*ras* cupiditatem, avaritiam, invidiam.

[3]) De loco VIII 3,15: tam ornatus quam perspicuitas est positus v. enuntiata modalia!

(recte Halmius *hoc* scripsit contra lectionem codicum A.G: *haec*). VII 3,1 non est hoc in⟨f⟩itiatio (Meister). V. Kühner l. l. II § 12,2. Cf. Nipperdey-Andresen ad Tac. ann. I 49; ibi laudantur multa exempla ex Tac., Verg. Aen., Curt., Sen. tranqu. an. 9,5: non fuit elegantia illud aut cura. Plura huiusmodi exempla ex Sen. phil. collegit Rauschning l. c. p. 69 sq. — Et si perlustrabimus illos locos, in omnibus fere pronomen ad *feminini generis* substantivum pertinere videbimus, quem usum etiam ap. Quint. repperimus. — XII 5,3 verecundia, quae est timor; sequitur pronomen genus prioris substantivi, non ut exspectamus secundum Cic. usum nominis praedicati. — Ille locus VII 2,3 ʻnam et homo mort*ale* eratʼ nihil habet alieni; nam ut ex contextu plane apparet, intellegendum est *animal;* cf. VII 3,15. Bonnellius, prolegomena de gramm. Quint. p. XL, hunc esse graecismum affirmat, sed errat hac opinione.

Caput II.

De casibus.

§ 1.

De accusativi usu.[1])

Verborum, quibus subiungitur accusativus, exempla minus usitata haec fere sunt: *adspirare* IV prooem. 5 ut nobis tantum ingenii adspiret (Verg. Aen. VIII 373). — *cavillari* I 4,5: hanc artem ut tenuem atque ieiunam (Cic. Liv. Val. Max.) — *delegare* IV prooem. 2: curam mihi del. cf. VI prooem 1, (Cic. Font. 4,8; Cael ap. Fam. VIII 1; Liv. Vell. II 97,2; Col. Tac. Plin. ep. Capit. Ant. Phil. Suet.) — *demereri:* I prooem. 3 amantissimos mei; IX 2,29 eum demeretur (Ov. Liv. Vell. Tac. Luet.) — *fastidire* I 1,18 hoc lucrum; ibid. 4,6; V 13,22 (Poëtae, Liv. Vell. Col. Cels. Curt. Just. Tac. Suet.) — *indulgere*=bewilligen, alicui aliquid: IV 2,122 hominum desiderio quantum *dari* debeat, alio loco dicam: interim aliquid *indulgendum* esse confiteor. Hoc loco variationis causa usurpatur *indulgere* pro verbo *dandi;* cf. II 17,32 malis moribus nomen oratoris; III 8,13 aliquid studio. Hoc sensu ante Quint. tantum apud Terentium et Vergilium invenitur, tum Tac., ICt. (Dig.), poëtae sic usurpant, ut Mart. Iuv. Stat. alii. — *manere* VI 1,23 quae damnatum manent cf. VI 1,19 (Poët. Liv. Suet. Caes. 14. Dom. 18.) — *intellego* X 1,104 vir . . . qui olim nominabitur, nunc intellegitur; XI 1,10. (Vell. II 114,5; 116,4. Sen. Tac. Plinii). — *reposcere*[2]) V 10,111

---

[1]) Cf. Kühner l. l. II § 70 sqq.; Schmalz, L. Syntax⁴, p. 353 sqq.; Dräger, Hist. Synt. § 161 sqq.; Reisig-Haase p. 629 sqq. — C. F. W. Müller, Syntax des Nom. und Akkus. im Lateinischen, Leipz. 1908.

[2]) Cf. Schmalz, Über d. Sprachgebr. d. As. Pollis q. 17: „Der doppelte Akkusativ bei poscere gehört den alten Dichtern an". Apud Quintilianum verbum simplex cum uno tantum accusativo coniungitur; ubi persona et res simul significantur, adhibetur *reposcere* eadem constructione ac *poscere* ap. veteres illos auctores. Schmalz l. c. laudat Verg. Hor. Ov. Mart. Juv. Liv. Sen. duos. Adici potest etiam usus Quintiliani. (cf. Cic. Verr. IV 51,113; post red. in sen. 4,9: Parthos signa reposcere. At Acad. IV 51,113 Catilinam *a* me).

Thessalos (sc. centum talenta sive creditum); I 10,18 filium rationem reposcere; VI 3,10 cum rationem facti reposcerentur; cf. Kühner l. l. § 73,4 b laudat Plin. ep. VII 12,6 et addit: (*reposci rem*) „sonst wohl nirgends". Adde hunc locum Quintilianeum! — *supergredi* VI prooem. 9: omnem laudem supergressa (Sen. rhet. Tac. Plin.). — *transfigurare* VI 2,1 iudicum animos. (Sen. Plin. Suet.) —

Verba, quibus indicatur affectus aliquis: *expavescere* X 3,30 non expavescere contionum fremitus; cf. IX 4,35. Primum occurrit hoc verbum apud Horatium tum etiam Liv. Luc. Sen. trag. (Thyest. 40; 610; Oed. 27); Plin. Tac. Flor. Sil. Iuv. Petr. Suet. — *gravari* IV 5,8 cetera; cf. I 1,11 (Poët. Sen. phil. Plin. ep. et pan. Tac. Suet.). — *reformidare* I 2,18 homines; VIII prooem. 2; 2,2; 2,17 passim. V. Bonn. lex. s. v. — *refugere* IX 4,31; XII 10,8; IV 2,43; 5,6.

Verba composita, quae praepositionem desiderare videntur: *aggredi* II 10,1 suasorias iudicialesque materias; VI 4,3 opus; VII 1,11 ultimum. cf. Bonn. lex. s. v. (Cic. Sall. Ov.) — *egredi* V 10,96 scholam; VIII 6,16 modum cf. IX 4,146; (at cum ablativo iungitur II 6,7 nidis; IV 1,61 portu); de tempore: quintum annum VI prooem. 6. Cf. L. Constans, De sermone Sall. p. 95. Sander[1]) II p. 2. Heraeus ad Tac. hist. IV 44; cf. ann. I 30; XIII 49 numerum. Iam Caes. usurpat fines B. G. I 44,7; munitiones B. c. III 52,2. Tum Vell. Sen. Curt. Tac. Plin. ep. Suet. alii. — *evadere* XII 10,79 haec quoque iam lenius supina; ceteris locis *in* legitur: I 2,26; II 4,17; 17,16; XII 11,30. (Verg. Aen. IV 685; VI 425; Liv. Sen. rhet. Tac. Agr. 33; 44; ann. III 14; V 10; I 51). — *excedere* modum I 7,29; III 6,62; VIII 3,48; X 1,50; XI 3,58; 169; VIII 6,76 naturalem modum; (IX 4,79 tres syllabas). Primum usurpant hanc locutionem Liv. Phaedr., tum Vell. (H. Georges l. c. p. 59) Cels. Curt. Sen. rhet. Sen. trag. (Oed. 908) Justin. Tac. Plin. ep. Suet. — *incessere* V 7,23; 27; 10,31; VI 3,21; 34; VII 2,34; VIII 3,29; XII 10,12 (Liv. Curt. Plin. Tac. alii). — *invadere* I 6,44 civitatem cf. XII 10,13; VII 1,43; IX 2,41 praeturam. V. Bonn. lex. s. v. (Sander l. c. II p. 2; Bagge[2]) p. 31: *semper* cum accusativo Suet; Cic. *in*; Caes. B. G. VIII 27 agmen; Sall. Liv. alii modo cum accusativo modo cum praepositione in.).

Verba cum praepositione *ante* et *prae* composita haec modo apud Quintilianum cum accusativo coniuncta sunt: *antecedere* II 5,6 ne imitatio studium antecederet; VII 5,2 iudicium; V 10,45 proficiscentem (Iam Cic. et Caes. alii). — *praecedere* I 4,3: enarrationem praecedit emendata lectio; III 2,2 accusatio praecedat defensionem; 7,24 orationem et passim; v. Bonn. lex. s. v. Nusquam Cic. Sall. Nep. Tac. usurpant (v. Antibarb. s. v.), Caes. semel per translationem b. G. I 1,4. Vell. Sen. rhet. (cf. Sander II p. 3). — *praecurrere* VII 4,25. (Jam Cic. Sen. rhet. Tac.). — *praevenire* XII 6,2. (Sall. Iug. 71; Liv. Val. Max. Cels. Suet. alii).

Accusativus praedicativus verbo habendi subiectus invenitur: IV

[1]) M. Sander, Der Sprachgebrauch des Rhetors Ann. Seneca. II partes. Waren 1877, 1880.

[2]) P. Bagge, De elocutione C. Suetonii Tranquilli, Upsalae 1875.

1,51 si iudicem benevolum, attentum, docilem habeo; ibid. attentum facere. II 2,14 modestam habere ... iuventutem; V 12,13; VII 1,30 fateris aurum occultum habuisse; X 1,2 praeparatam ad omnis casus habere eloquentiam; 1,125 invisum habere; XI 3,76 nam opertos compressosve eos in dicendo ... habeat?

Accusativi adverbialis usus late patet; cf. Kühner l. c. § 72 adnot. 9. Maxime memoratu digna videntur haec: *paulum* I 7,20; 21; X 1,103; XI 3,138; 166; XII 3,12 paulum aliquid cf. VIII 3,31; XI 3,63 p. lentior; 139 submissior. — *multum*[1]) II 5,4 infra; IV 1,9 diversa; III 5,13 differre; V 14,35; X 1,81; XII 10,21 falli. — *plurimum* uti IX 4,97; XII 10,73 falli. — *summum* V 14,6 (etiam *summe* ut Cic. cf. XI 1,70 admiratus; XII 1,23 disertum) — *minimum* V 10,5; 12,20; X 1,44; IX 4,125 membra minim⟨um⟩ duo (sec. Regium). — *pusillum* VIII 6,28 discedere. — *aliquid* spatiari XI 3,135. cf. paulum aliquid (supra!) I 1,8; II 10,10. — multa: I 3,16 vapulare. — *tantum* XII 8,6 non tantum nocerent; X 1,126 etc.

Accusativum appositivum uno loco legi: I 1,10 *rem arduam*. Cf. Nipperdey ad Tac. ann. I 27, qui exempla affert ex Sall. Liv. Hor; praeterea invenitur haec constructio ap. Vell. II 69,6; Col. IV 18; Sen. de brev. vit. V 19,2; Suet. Cal. 16. Cum Quint. loco potissimum comparari potest Cic. Tusc. I 102: rem non difficilem; cf. etiam Madv. ad Cic. de fin. II 23,75. Cf. C. F. W. Müller, Synt. des Nom. u. Akk., p. 159, Elliptischer Akkusativ.

§ 2.
De dativi usu.[2])

Quod attinet ad verba cum dativo iuncta, de simplicibus prius disseram, tum de compositis, in quibus adhibendis dativum praetulit Quint. constructioni variarum praepositionum.

I. *aptare* XII 10,35; saepius; v. Bonn. lex. s. v. (Poët. Liv. Sen. min. Suet.). — *haerere:* I 1,13 cum Graecae figurae assidua consuetudine haeserunt. (Poët. De personis etiam Cic.).[3]) — *iungere*[3]) IV 1,76 cui commodissime iungi initium sequentium poterat; V 10,78; VI 3,62; VIII 3,16; IX 4,102; XII 1,16. Poët. Liv. alii. At VIII 5,21 legitur *cum*. Participium *iunctus* iam Cic. sequente dativo habet ut Quint. V 10,32. — *miscere:*[3]) Ut apud alios scriptores etiam apud Quintilianum multis locis dubitari potest, utrum dativo an ablativo utatur; cf. VIII 3,60 si quis sublimia h u m i l i b u s, vetera n o v i s, poetica v u l g a r i b u s misceat; IX 4,11; 4,135; 3,63; XI 3,43; XII 10,19; 10,35. At II 8,11 legitur: 'cum alterum alterius natura miscendum arbitraretur'; sed hoc loco

---

[1]) De loco X 1,94: *multum* eo est tersior ac purus magis Horatius v. supra p. 37 adn. 2.

[2]) Cf. Kühner l. l. § 75 sqq. Dräger, Hist. Synt. § 181 ff.; Reisig-Haase l. l. p. 591 sqq. — Landgraf, Beiträge z. hist. Syntax d. lat. Sprache, München 1899. — Cf. C. F. W. Müller: 'Die Syntax des Dativs im Lateinischen', scripsit S k u t s c h in G l o t t a, Z. f. gr. u. l. Spr. II 169 sqq.

[3]) Cf. Landgraf l. l. p. 17 sqq. et p. 20 sqq.

miscere non idem valet quod admiscere: non alter alterius naturae miscendus est, sed natura alterius alteri admiscenda est. Quia autem V 7,6 exstat permixtus defensioni etiam reliquis locis dativum esse positum existimandum est, item Sen. rhet, 174,16. — *paratior* certamini VIII 3,10; cf. XII prooem 4.

II. *accedere* = assentiri: II 15,1 sententiae; 15,29 opinioni; III 4,16 his; cf. IV 2,83; XII 2,2; Celso IX 4,132; magis accedere Quint. saepius adhibet pro 'propius accedere ad aliquid', velut X 1,68 oratorio generi; 1,86 Homero maxime accedere. Verum propius accedere coniungitur cum particula ad, velut XII 2,2; 2,25 proxime accedere ad . . . Formula denique his accedit adnotanda videtur, ut I 8,18; II 12,6;[1]) cf. Bonn. lex. s. v. accedere. (Vell. Sen. rhet. et phil. Tac. alii). Cic. usurpat accedere ad aliquid. — *accidere* occurrit eodem fere significatu atque 'incidere in' sive 'pertinere ad' = t. t.[2]) V 13,19 ei generi accidunt; cf. I 5,41 plurima huic (verbo) accidunt. V 10,17; 10,23; 10,29; 10,58. — *accommodare* I 8,19 anilibus fabulis accommodare operam; ibid. 12,7; III 8,6; VIII 2,6; IX 2,38 etc. Verum ad legitur V 13,13 etc. — *adhibere* I 10,20 epulis fides ac tibias; II 10,8 causae; 15,30 iuri fraus adhibebatur (= fraudem facere); VII 3,3; IX 3,74; 4,126; X 3,5; XI 2,12 adhibitus ei cenae. Cic. dicit in convivium adhibere, Verg. epulis, Hor. mensis, Col. mensae suae, Suet. cenae. — *admovere* XI 3,104 manum pectori admovemus; tamen *ad* usurpatur VI prooem. 13. — *applicare*: I 2,26 vites arboribus applicitae; VII 10,17 verba verbis cf. IV 1,30; VIII 3,76; IX 4,27 etc.; ad occurrit V 11,44; in VII 3,19. (Verg. Ov. Sen. trag.) — *assistere*: I 2,12 neque enim scribenti, ediscenti, cogitanti praeceptor assistit.[3]) — *assuescere* I 1,5 sermoni; II 5,6 pronuntiationi; 7,3 et X 1,59 optimis; IV 2,29 cui; 2,115 illis; XI 2,6 assuetus sibi. (Verg. Liv. Sen Tac. Cic. huic verbo ablativum adiungit). — *cohaerere* IV 1,71 causae; 2,89 verae alicui rei; VII prooem. 3 sibi; VIII prooem. 21 rebus cf. ibid. 26; 3,75 nobis; IX 4,63 aliis; XI 1,85 legibus Sullae. (IX 4,66 inter se.) Poët. poster. — *comparare*: hoc verbum saepissime occurrit in inst. orat., semper fere cum dativo coniunctum: I 2,15; III 8,33; VIII 4,13 et 14; 6,8; IX 3,1: antiquum sermonem nostro. v. Bonn. lex. s. v. Cum tribus tantum locis invenitur: VII 2,22; XII 7,3 (bis). Etiam Cic. dativum admittit cf. Cat. mai. 5,14. — *conectere* VII 2,57 quid cuique conectatur; VI 5,1 partibus huius operis omnibus conexus ac mixtus est (sc. locus). Cf. Schmalz, Antib. s. v. — *conferre* modo cum dativo modo cum

---

1) Cf. Schmalz, Antib. I p. 64[7].

2) Partic. praes. etiam cum genetivo coniungitur: V 10,23 rerum accidentia; cf. Serv. Don. p. 446,30 per accidentia partium. — Hoc partic. primum sic occurrit Sen. ep. 117,3 accidens alteri; ibid. 10 sapientiae. cf. Theodorus ap. Quint. III 6,36. — Absolute legitur III 6,56; IV 2,130; VIII 3,70. V. Arch. lex. IX p. 454 sqq. et 575 sq.

3) Schmalz, Antibarb.[7] I p. 209: „assistere alicui in der Bedeutung einem beistehen ist N. Kl. auch bei Quint., z. B. I 11,14 mihi diligens aliquis ac peritus adsistat, bei Tac., z. B. hist. 3,31, bei Plin. min. und Sp. L.“ At locus Quintilianeus non huc pertinet; nam mihi est dativus ethicus et adsistat absolute positum est (sc. ei sive puero vel simile!).

4*

praepositione ad coniungitur: I 1,6 multum conferre = prodesse; cf. III 8,49; X 1,63; 1,95 plus scientiae collaturus quam eloquentiae etc. Legitur ad: II 5,1; IV 2,107; V 10,44 (Exstat falso Bonn. lex. s. v. V 11,44) ad coniecturam plurimum confert = pl. valet ad. v. Bonn. lex. At si conferre idem est quod comparare, legitur cum alique re: V 13,12; VIII 4,2; X 1,13, excepto uno loco ex Ovidio sumpto X 1,75: at si contuleris Tyriae eam lacernae. — *confundere* VIII 3,60: ut si Atticis (Dat?) Dorica confundas. — *congruere* IV 2,79 narrationi congruens confirmatio; ibid. 89 et personae et loco et tempori; IX 3,40; XI 1,4. Cum legitur XI 3,74. Cf. Schmalz, Antib. s. v. — *coniungere* I 10,17 oratori; V 10,51 facultati instrumentum; XI 2,20. Partic. coniunctus: IX 1,1 locus superiori coniunctus; cf. IV 3,2; V 13,17; 14,1; 10,45. Etiam Cic. partic. sic usurpat; v. Schmalz, Antib. s. v. cf. Sander l. c. II p. 7. — *consuescere* XI 1,88 bellis magis quam paci (Bonn. h. l. omisit); at II 10,8 nisi ad verum discrimen aciemque iustam consuescimus; cf. Col. I 8,2; Sen. rhet. 155,13 utrique consuevi; Plin. ep. VIII 23,8 gravissimo dolori. — *destinare* II 8,8 qui foro destinabitur; X 5,19 cui; XI 2,29 cuique loco; destinatus: I 1,8 ille huic spei dest. cf. III 8,42; V 7,8; X 7,33. Schmalz, Antib.[7] I p. 430 s. v. dicit: ʻDestinare mit Dativ der Bestimmung ist nicht Kl.ʼ At legimus ap. Caes. b. G. VII 72,2 operi destinati. Deinde Verg. Aen. II 129; Liv. V 40,1; XXV 6,23; Vell. I 12,1; II 47,2; 81,3; 85,2; Curt. Col. Tac. Suet. Cf. X 3,14 materiae ad scribendum destinatae; V 10,9 omnem ad scribendum destinatam materiam. — *differe*: XII 10,1 signum signo et tabula tabulae et actio actioni etc.; II 21,10. (Poëtae ut Hor. sat. I 4,18. Plin. N. H). Tamen occurrit ab III 4,13; II 17,42; V 14,14. — *eripere* poenis II 16,2. Cf. Schmalz, Antib.[7] I p. 512 s. v. — *eximere*: I 4,3 numero; X 1,74 turbae; IX 1,6 tropis; XII 1,32 animo; ibid. 2,28 opinionibus. (Plaut. Hor. carm. II 2,19 numero cf. III 14,14; ep. I 5,18. Verg. Aen. IX 447; Ov. Met. I 24. Cic. dicit: aliquem de reis eximere Verr. IV 19,41, ex reis eximi Verr. II 40,99. Nepos Att. 10,4 *de numero*. Tacitus quidem usurpat dativum, sed subiecta significatione liberandi, eripiendi: morti, infamiae, ignominiae, cf. Germ. 29 oneribus et collationibus exempti; Curt. VII 1.6; Liv. VIII 35,4 noxae; Sen. rhet. 395,18 carceri.) — *immorior*: IX 3,73 legationi (Poëtae, Plin. mai. Sen. contr. Iust.). — *immoror* II 16,6 terrenis (Val. Max. Cels. Col. Sen. ep. Plin. mai. et min.).[1]) — *impendere* I 2,2 tempora i. uni; 1,3 acrem quam maxime curam spei i.; VI 4,3 paululum i. huic operae; cf. ep. ad Tryph. 1; I prooem. 1; 12,18; II 4,3; XII 11,19. At III 6,21 tota volumina in hanc disputationem i., XII 8,4 i. laborem in alienas actiones; qua constructione optimi scriptores utuntur. Dativus autem occurrit apud poëtas (Ov. Lucan. Sen. trag. Stat. Iuv.) et posteriores, ut Val. Max., hist. Aug. script., Tac., Suet. Sander l. l. II p. 7

---

[1]) Iste locus ʻet né terrénis ímmorér videturʼ sumptus esse ex tragoedia aliqua, quia Quint. praeterea semel tantum hoc verbo utitur et quidem cum praepositione in sequente ablativo XI 2,4 in hoc. Cf. ʻne morerʼ, poetica locutio, IX 3,11; XI 3,176. Vell. I 7,2 dum in externis moror.

dubitat de casu, ubi dativum esse positum (Sen. 160,19) pro certo habeam. Ceterum legimus XII 8,10: cum satis in audiendo patientiae impenderit. Schmalz, Antib. I 690 [7] s. v. dicit: '*Sp. L.* (!) in aliqua re'. — *imprimere* I 1,36 animo rudi; cf. XI 2,4. (Poët. Plin. Pall. Col. Sen. rhet. Tac. Suet.) — *incubare* X 1,2 velut clausis thesauris (Verg. Hor. Ov. Val. Max. Plin. Curt.) cf. Suet. Caes. 44 theatrum Tarpeio monti accubans. — *incursare* X 3,28 oculis vel auribus (Ov. Met. I 303; II 205; XIV 190; cf. Suet. Tib. 26 natalem Circensibus incurrentem. At *incurrere* apud Quint. cum praepos. in sequente accusativo coniungitur, ut X 3,16 *in oculos.* cf. Schmalz, Antib. s. v. incurrere). — *incutere* II 12,10 pedem terrae (cf. Lucr. Iuv. Sil. Curt. Plin. N. H. Sen. ep. V 4,9; Tac. ann. XIII 39). — *inducere* XII 6,6 ingenio adhuc alendo callum. (Poët. Vell. Cels. Plin. mai. Curt. Tac.). — *infundere* VI 1,40 cadaveri cera erat infusa (Poët. Cels. Col. Pall. Plin. mai. Sen. mai. et min.). — *inhaerere* I 6,17 ei analogiae; ibid. 6,20; VII 1,58 verbis; VIII prooem. 30 sensibus; X 6,2 et 5 (Cic. poët. Liv. Cels. Curt. Flor. Plin. ep. V 16,3) — *inscribere*[1]) VII 3,31 (Bonn. lex. s. v. falso laudat VII 3,21) nomen tumulo (Cic. velut har. resp. 27,58 — Liv. XXV 10,9 foribus; Plin. N. H. 29,1 9, monumento; Sen. rhet. 20,11 tropaeo; Suet. Vesp. 6 vexillis. Praeterea poët., ut Ov. Met. X 215 foliis cf. XIII 397). — *insculpere* I 1,27 tabellae (Ov. Hor. sat. II 3,90; Mel. Plin. ep. Suet. Nero 41; Claud. 1. Iustin. At Cic. usurpat in sequente ablativo (n. d. I 17,45; II 4,12). — *insenescere* X 3,11 singulis actionum partibus. (Poët. Tac. ann. IV 6). — *insīdere* I 1,11 nec insidere illi sinat (sc. vitiose dicta); ibid. 4,11; 6,44; 8,4 et passim; v. Bonn. lex. s. v. VI 2,31 animo; X 7,2 memoriae cf. Cic. de or. II 122 in memoria mea. (Poët. Cels. Col. Tac. Plin. pan. Suet.). — *inspirare* ramis X 3,24. (Ov. Met. I 333; Sen. Hipp. 1009; Gell. II 3,2). — *interiacere* XI 3,18 his ipsis media interiacent multa. (Liv. alii). — *intervenire* IX 3,23; X 1,96 (Liv. Tac. Dig.) — *praeparare* II 8,3 cui quisque certamini praeparatus sit; 10,8 foro; huic V prooem. 4. Cf. ibid. 13,44; II 4,26; VI prooem. 16; X 7,19. At V 7,8 ad quae iudicis animus sit praeparandus. Cf. Bonn. lex. s. v. (Vell. Curt. Plin. N. H. Sen.) — *reservare* I 7,32 maiori operi; cf. VIII 5,35; VII 10,12 et 13; XI 1,10. Ad legitur I 8,6. (Cic. Caes. poster.) — *subrepere* IV 1,42 animis; 5,20 animo. (Sen. Stat. Sil.). At irrepere in hominum mentes IX 1,29. — *subtrahere* se VII 4,39 legum actionibus; XII 9,21 oneri; cf. V 14,34; VII 2,19 (Ov. Met. XIII 316; Vell. II 86,3; Col. I 9,6. Cic. autem huic verbo adiungit praepos. ab.) —

Alia verba minus usitata, quae Quint. cum dativo coniungit, haec sunt: *consonare* sibi II 20,5 (Manil. Sen. phil.). — *conviciari* III 8,69 inhumane contra sentientibus; V 13,40; XII 10,24. Huic verbo Quint. primus subiungit dativum.[2]) — *lenocinari* V 12,17 formae puerorum (idem valet quod adiuvare). Cf. Plin. ep. I 8,6; II 19,7.[3]) — *mederi* I 10,6

---

[1]) inscribere lapidem IV 5,22; cf. Suet. Vit. 10; librum: Cic. off. II 24. Suet.
[2]) conviciari *deum* ap. Claud. Mam. I 25 ex. p. 94. 12; cf. Glotta II p. 172.
[3]) Cf. Glotta II p. 175.

oculis aut vulneribus; tamen IV 1,43 *adversus* haec mederi legitur. Cf. Plin. N. H. 20,50 contra omnes ictus. Accusativus autem apud Quintilianum non reperitur. — *partiri* I 12,4 (Bonn. lex. s. v. falso habet I 2,4) pluribus curis horas; II 6,7 fetibus (cf. Ov. Met. VII 653 urbem populis). — *renuntiare* X 7,1 civilibus officiis = verzichten (cf. renoncer à). Cf. Plin. ep. II 1,8. poster. V. Schmalz, Antib. s. v. — *repugnare* I 3,9 necessitatibus; ibid. 6,12 sibi; 8,20; 12,9; V 11,2 Ciceroni; passim. (Sen. rhet. 88,11). — *sordere* VIII prooem. 26 quibus sordet omne (cf. Verg. Hor. ep. I 11,4; Liv. IV 25,11; Plin. ep. Stat.). — *vacare* I 2,9 in studiis magis vacabit unus uni; I 8,18; 11,5; X 1,114; XII 1,4; 3,10. Haec significatio iam occurrit Cic. de div. I 6,11; cf. Verg. Ov. Vell. Plin. ep. alii.

Adiectivis his dativus adiungitur apud Quintilianum, rarius apud veteres scriptores: *adversus* III 9,7 adversum gratiae an obnoxium. — *alienus* II 2,10 severe institutis scholis aliena (sc. humanitas); ibid. 5,21; I prooem. 5; VI 3,29. Cf. Schmalz, Antib. s. v. — *accommodatus* frequentissime invenitur cum dativo I prooem. 10; II 4,33; III 4,10; passim; tamen legitur ad I 11,13; IX 4,135; X 1,42 et in IV 1,71; 2,36. — *appositus* Quint. eodem fere sensu adhibet atque accommodatus, quod ipsum quoque et cum dativo coniungit et cum praepositione ad: cf. IV 3,11 iuri an aequo; II 15,5 locum affert ex Cic. de or. I 31,138, sed pro Ciceroniano adiectivo accommodate ille ponit apposite ad persuadendum cf. III 11,9; V 8,1. — *confinis* translate frequenter dicitur ut vicinus cf. V 11,21: VIII 3,89. — *consequens* IV 3,5 narrationi probatio. — *diversus* II 3,10; III 6,32; V 7,29; VI 3,1; VII 2,25; X 3,17; IX 2,15; XII 10,22 (Lysiae). (Caes. b. c. III 20,2 div. sibi consilia; Hor. ep. I 18,5. Ov. Met. IX 321. Tac. Germ. 46. Iuv. alii).[1] — *facilis* IV 5,21 (= commodus) defensioni facilior erit cf. VII 1,27; X 2,3. (Tac. ann. II 27; V 11 capessendis inimicitiis). — *habilis* XI 3,99 demonstrando; at VI 3,12 legitur ad. (Tac. ann. XII 41). — *maturus* II 1,7 percipiendis iis quae rhetorice praecipit. — *operatus* X 3,13 scholae adhuc operatum. V. Schmalz, Antib. s. v. operari. — Quod attinet ad adiectivum *similis*, a Quintiliano sicut a Livio, Velleio aliisque et cum genetivo et cum dativo coniungitur; dativus autem multo frequentius invenitur: cf. I 10,6; 10,37; 38; II 4,2; 5,20 (Ciceroni). — genet.: II 4,1; 10,4; VI 3,52 alibi.

Dativus auctoris[2]) Graecorum more positus imprimis apud poëtas, haud raro etiam apud Ciceronem reperitur, qui primus non solum pronominum sed etiam substantivorum dativum hoc modo ponit (Landgraf l. l. p. 17). Intra hos terminos Quintilianum quoque consistere in universum dici potest. Ex Inst. or. omnes fere locos collegit *Claussen,* quaestiones Quintilianeae, N. Jahrb. f. Phil. VI. Suppl. p. 329. Adde: VI 3,103 ei . . . est opus institutum; III 8,42 destinatus est mihi locus duodecimo . . . libro; IV 5,18 iudici desiderari (Sic. Raderm.). Omnino

---

[1]) Cf. Landgraf l. l. p. 25.

[2]) Cf. Thielmann, act. Sem. Erl. II 71 sqq. — Landgraf l. l. pars I De Quint. p. 13.

inveniuntur apud Quintilianum haec partic. perf. pass.[1]: cognitus X 1,34; V 7,7; compertus IV 1,79; *destinatus III 8,42; dictus I 6,22; VIII 3,58; elaboratus IX 4,1; *evitatus IV 1,71; *excussus VI 4,2; institutus VI 3, 103; intellectus I 6,40; lectus V 7,7; memoratus claris auctoribus I 8,18 (cf. Tac. ann. 1); scriptus I 6,22; temptatus XII prooem. 3; tractatus VI 12,23; XII prooem. 2. Legitur denique hac constructione verbum desiderandi IV 5,18; habendi = existimandi I 8,21; VIII 6,31; IX 4,16; probandi I 4,21; III 7,18; IV 1,42; XI 1,68.

Dativus ethicus, qui est frequentissimus apud poëtas, praesertim comicos, raro occurrit apud Quint.: cf. I 11,14; XII 2,31 hinc mihi ille iustititiae haustus bibat; II 4,9. I 2,1. Sed nobis iam paulatim accrescere puer — incipiat; cf. XII 1,1.

Dativi finalis sive factitivi[2]) haud ita pauca exempla in Inst. orat. leguntur. Afferenda sunt haec: curae XII 1,8; c. habere I prooem. 16 (cf. Nieländer l. c. p. 9); decori III 7,27; XI 1,33; dedecori I 11,18; deformitati VI 1,12; documento VI 3,10; VII 1,2; XI 3,4; XII 11,23; exemplo II 5,16; exsilio deligere XII 10,19; gloriae VI 1,12; impedimento I 2,12; 7,17; II 5,2; V 10,123; 14,35; VII prooem. 2; XI 3,142; ludibrio VI 1,45; malo V 9,13; muneri dare I 10,16; offerre IV 2,17; odio III 7,24; opprobrio III 7,19; ornamento V 14,35 (at V 8,2 in ornamentum comparare); ostentationi III 7,4: quae ost. componitur; (cf. Plin. ep. VII 17.3 historia non ostentationi sed fidei veritatique componitur); VIII 3,11 illud genus ost. compositum; cf. X 1,28 poëticam ost. comparatam (Schoell); at II 10,10 in ostentationem comparare (v. infra s. v. utilitas!); pignori accipere tantummodo apud Quintilianum VII 8,4 et Tac. hist. III 65,1 legitur; praedae I prooem. 14; receptui carmen IX 4,11. Haec locutio manavit ex illa: receptui canere (cf. Cic. Phil. 13,7 receptui signum); solacio sufficere VI prooem. 9; usui II 12,12 (sequitur voluptati); verecundiae I 3,16; voluptati II 12,12; III 1,2; IV 5,23. — Sed multa substantiva aliis scriptoribus hac constructione usitata frustra quaesiveris apud Quintilianum, velut: crimini, vitio; subsidio, timori; perniciei (in perniciem III 2,2); infamiae (III 7,21 infame); invidiae (III 7,19 et 21 invisus); laudi, saluti (cf. XII 10,79 nihil nec laudabile nec salutare est); utilitati (cf. IV 3,2 ad util. repertum; IV 2,122 ad util. potius quam ad ostentationem componere; II 2,15). — Denique moneam Quintilianum dativos in ui exeuntes, qui saepissime apud posteriores imprimisque apud Tac. et Apul. occurrunt, si excipias IX 4,11 receptui carmen et II 12,12, ubi usui[3]) respondet voluptati, nullos admisisse.[4]) Cf. in quaestu esse I prooem. 13; III 7,19 ‘opprobrio fuit’ respondet ‘contemptum, odium attulerunt’.

---

[1]) Quibus stellulam praefixi, ea primum apud Quintilianum ita occurrunt.
[2]) Cf. Nieländer, „Der faktitive Dativ“, Progr. I Krotoschin 1874; II Schneidemühl 1877; III 1893, 1894.
[3]) I 1,12 in usu esse i. q. usurpari.
[4]) Quamobrem consuetudini Quintiliani non respondere mihi videtur lectio Spaldingii (et Meisteri) IX 4,139 atqui corporis quoque *motui‘ sunt’* sua quae-

Dativus commodi non raro adhibetur, ut III 8,47 se rei publicae servare; II 15,30 orationem quam ei (sc. Socrati) Lysias reo composuerat.

§ 3.

De genetivi usu.[1])

Genetivi obiectivi exemplum hoc afferendum esse videtur, quia praepositioni cum opponitur: V 7,29 amicitia accusatoris, inimicitiae cum reo.

Genetivus, qui vocatur *proprietatis*, satis frequens reperitur: V prooem. 5 ex quinque, quas iudicialis materiae fecimus, partibus; 11,41 ea quoque . . . velut omnium fiunt. Sic est interpretanda locutio illa: moris est (= es gehört zur Gewohnheit) I 1,34; 10,20; II 7,1; IV 3,1; IX 4,12; XI 1,53 et passim. VI 1,7 non boni moris videtur (cf. Caes. b. G. IV 5,2 est hoc Gallicae consuetudinis; Tac. ann. I 80 morum Tiberii fuit). Eiusdem generis sunt: officii sui ducere II 1,2 (at VI 2,11 propria huius officii putaverunt); VI 1,40 quorum officii erat cf. IV 4,3; II 18,2; (Tac. ann. III 20 flagitii ratus. Cf. Cic. div. in Caec. 70 honoris amplissimi puto esse); VI 1,20 cuius loci est (= hieher gehört); V 13,16 nullius est artis (= dazu „gehört" keine Kunst). — Praeterea in hoc genus incidere videtur X 2,6: nihil habebimus nisi beneficii alieni [2]) (= wir haben nur, was wir anderen verdanken, alles verdanken wir anderen). Meister quidem sic interpretari vult, ut hic sit genet. qualitatis, pendens ex nihil sive potius ex affirmativo quodam pronomine intellegendo ex illo negativo nihil. Sed rectius accipiatur genet. possessivus, quia idem fere est atque ille 'officii sui ducere', et Becher laudat Tac. ann. XIV 55 tui muneris habeo. Cf. Ov. Am. II 13,22 digna est quam iubeas muneris esse tui, Hor. carm. IV 3,21 tui muneris est, Tac. ann. XV 52 ne — sui muneris rem publicam faceret. Peterson in editione libri decimi citat Sen. ben. III 18.4, Iustin. XIII 4,9 (cf. Bagge p. 85), Suet. Claud. 23 commeatus . . . beneficii sui fecit. Cf. etiam Suet. Tit. 12 beneficii sui centuriones. Inde apparet aetatem argenteam amasse illam locutionem.

Genetivus qui dicitur *culpae:* Praeter illa verba *accusandi* (cf. IV 2,30; VII 4,10; ibid. 26) vel *damnandi* (cf. II 5,24; VII 8,3; IX 2,81; X 2,8) saepissime legitur *agere* cum genet. coniunctum: III 6,19 iniuriarum; VIII 5,12 talionis; IX 2,90 dementiae; IV 4,8 caedis; ibid.: agitur mecum adulterii; IV 4,3 sacrilegii agitur, de sacrilegio cognoscitis. Reus idem significans quod accusatus passim invenitur v. Bonn. lex. s. v. Adde: IV 1,69; IX 2,88; IV 2,8; 2,100; VII 1,42; 2,17; reum facere

---

dam tempora (cod. G *motus sua*). Equidem proponam: c. qu. motus <habet> sua qu. t. Cf. IX 4,20 habeat suos quosdam . . . pedes; aut si malis: atqui <in> corporis quoque motu sunt quaedam tempora: cf. XI 3,110.

[1]) Cf. Kühner l. c. § 82 sqq.; Dräger l. c. § 198 sqq.; Reisig-Haase l. l. p. 544 sqq.

[2]) Non alienum videtur hic afferre vocem illam Goethii nostri (Torquato-Tasso): „Und was man ist, das blieb man andern schuldig".

(Aiacis occisi) IV 2,13; contra IV 2, 30 r. facere de moribus. — insimulare IV 2,15 repetundarum. — Huc pertinet etiam teneri V 14,11 caedis. Cf. Tac. ann. XI 7 repetundarum t., saepius Dig. Etiam Cic. legg. III 13 legimus cupiditatis teneri.

Genetivus cum adiectivis:

A. Adiectiva quantitatem significantia neutro genere posita etiam ap. optimos scriptores cum genetivo coniunguntur, ut multum, plus, plurimum etc. Hunc usum apud Quintilianum satis frequenter invenimus; cf. I prooem. 3 plus oneris; III 1,5 nec tamen minus artis aut usus hi leniores habent. Sed *abunde* sequente genetivo ante Verg. (Aen. VII 552) nusquam legitur. Quint.. autem semel abunde non aliter ac *satis* cum genetivo ponit coniunctum; cf. satis: X 1,113 et consilii et animi; ibid. 2,15; II 2,8 exemplorum; VII 4,18 poenarum; XII 7,1 virium; 8,10 patientiae; abunde: X 1,94 salis. Sic Plin. N. H. Suet. Gell. Cf. Schmalz, Antib. s. v. Archiv. lex. VII p. 264 sqq. Hand-Turs. I 71. B. Alia adiectiva cum genetivo iuncta: medius I 7,20: quotiens s littera media vocalium longarum est; genetivus quidam partitivus hic esse videtur; cf. Caes. B. G. I 34,1. Ov. Hor. Sil. Stat. — Adiectiva quae vocantur relativa: caecus animi I 10,29. Sil. II 206; Luc. II 14; Stat. Theb. V 7,18; VII 95. Gell. XII 13,4. — *candidatus* XII 2,27; VI prooem. 13 Atticae eloquentiae. Plin. pan. 63 cand. non consulatus tantum sed immortalitatis et gloriae. Apul. Met. — *certus* sententiae IV 3,8. Sen. ep. Plin. ep. Tac. ann. XII 32 et saepius. Suet. Poët. — *compos* XI 3,77 mentis; XII 1,7 sceleris. — *cupidus* III 3,8; IV 2,42; V 7,16; 13,31; VI 2,16; XI 1,88; XII 7,2; 9,4. — *diligens* compositionis IX 4,77; tamen diligens in aliqua re: III 1,18; X 1,63; 129; 79 in compositione; I 1,7 ad cetera (Plin. dil. circa aliquid). — *ignarus* I 4,4 et passim; v. Bonn. lex. s. v. — *inscius* II 12,2; 21,14. Cic. opt. gen. or. 4,11; poët.; Auct. b. Afr. Liv. — *nescius* I 3,12 [1]) — *peritus* I 3,1 et passim. — *potens* XII 11,10 efficiendi; at VI 1,26 ad efficiendum potentiora. Poët. Liv. Vell. Val. Max. Plin. N. H. — *securus* [2]) VIII 3,51 tam parvae observationis. Poët. Vell. Val. Max. Sen. rhet. Sen. ep. Plin. pan. Curt. Tac. — *superstes* VI prooem. 4. — *tenax* XI 1,90 propositi cf. I 1,5. Poët. Vell. II 29,3. Val. Max. Sen. phil. Col. Plin. ep. Suet. —

Genetivus qualitatis saepe usurpatur iuxta adiectivum aliquod, ut VIII prooem. 19 corpora sana et integri sanguinis et exercitatione firmata. Dicitur etiam per eandem brevitatem atque apud Tacitum (Cf. Dräger l. l. p. 35 § 72) VI 3,93: Iucundissima sunt — lenia et boni stomachi. VIII 6,67 hyperbolen audacioris ornatus summo loco posui = figuram audacioris orn.

---

[1]) Bonn. lex. hoc adiectivum omisit.

[2]) Cf. Cic. Att. II 52,3 *de* lingua Latina securi es animi. Similiter Quint. dicit *sollicitus de verbis* VIII 3,13; cf. XI 1,73. *in hoc* soll. VIII 4,15; *circa* aliquid VII 1,43 (v. Schmalz, Antib. s. v.); genet. autem cum hoc adiect. nusquam coniungitur apud Quint. Cf. Tac. hist. IV 58 aut pro vobis sollicitior aut pro me securior.

Notandum praeterea videtur II 1,6 *eo usque* scientiae progredi; cf. Sen. ben. II 29,2 eo usque impudentiae; Iustin III 5,6 e. desperationis Spartanos adduxit; Tac. ann. II 55 e. corruptionis provectus est. Sulp. Sev. II 50,2 stultitiae eo usque venerat.

Genetivus cum verbis: Verba copiam et inopiam significantia cum ablativo rei iungi solent apud optimos scriptores. At *egere* haud raro cum genetivo apud poët. et poster. invenitur, ut iam Sall. Cat. 51,37; Jug. 14,17; hist. II 50,4. Quint. aliis locis genetivum ponit, cf. V 14,5 rationis; III 8,63 artis; II 16,13 quis; aliis ablativum, ut I 10,7; V 9,3 etc. — *opus est* XII 3,8 lectionis; tamen ceteris locis legitur ablativus, ut I 1,10; II 1,8; XI 3,16; XII 11,16. V. Antib.[7] II 222. — *commonere* I 5,7 officii; ibid. 8,14 artificialium; XI 2,24 horum. Kühner l. l. § 86,10 laudat Ter. Rud. 743; Auct. ad Her. IV 33,44. — *oblivisci* IX 2,86 tot exemplorum; XI 1,62 reverentiae; XII 3,4. Cf. Schmalz, Antib. s. v. Hoc verbum a Quintiliano neglegi videtur; saepius hac significatione occurrit *excidit* mihi aliquid, ut IV 2,83; 2,90; 2,91; 5,4 et passim.

Genetivi locum obtinet totum enuntiatum, id quod notatur positione IX 1,28, ubi laudatur Cic. de or. III 202 percursio et plus ad intellegendum quam dixeris significatio. Imitatur hanc constructionem Quint. ipse IX 2,3: illa plus quam dixeris significatio. Cf. Naegelsb.-Müller, Lat. Stil.[9] p. 274 § 68.

§ 4.
De ablativi usu.[1])

Ablativus separationis nonnullis verbis subiungitur, quibus apud veteres scriptores praepositiones addi solent: *deerrare* I 5,46 significatione; X 3,29 (Bonn. lex. falso habet 3,19) itinere; XII 10,64 verbis. Vell. II 3,4 recto; Col. — Auct. ad Her. I 9,14 deerrare *ab.* — *demittere* I 6,16: caelo cf. Ov. Met. II 310 quos caelo demitteret imbres. Verg. Liv. alii. — *deterrere* VII 1,58 advocatione. Sall. Jug. 98,5 proelio; Vell. II 5,3 proposito; Suet. Tib. 47. (Kühner l. l. p. 274: „nur (?) Hor. ars p. 392“.) Ab invenitur II 2,3; IV 1,51. — *excidere* I 5,16 genere; II 17,25 fine. Poët. Curt. X 17,22 regno. Cf. tota causa cadere VII 3,17. Hic t. t. etiam apud Ciceronem legitur; III 6,69: formula cadere. — *remotus*: XI 1,89 curā; ceteris locis ponitur *ab*, velut XI 2,42 ab usu dicendi remota. Cf. Vell. II 32,5 remoto mari loco. Suet. Tib. 42.

Alia verba cum ablativo (plerumque causali) coniuncta haec sunt: *erubescere* VI 4,8 aliena stultitia. Ov. Liv. Tac. — *fraudare* II 14,1 debita laude; IX 1,25 iudicio (Etiam Cic.) — *gestire* X 5,15 dialogorum libertate. (Cic. voluptate, laetitia). — *laborare* I 11,4 vel exilitate vel pinguitudine nimia; cf. III 6,89; V 13,36. V. Bonn. lex. s. v. — *stupere* IV 3,101 immobili rigore; XII 6,5 novitate; IX 3,58 gaudio (locus *Caeli*).

Adiectiva, quibus ablativus adiungitur, haec fere ab usu solito

---

[1]) Cf. Kühner l. l. §§ 78 sqq.; Dräger, Hist. Synt. 213 sqq.; Reisig-Haase p. 661 sqq.

optimorum scriptorum aliquid recedunt: *creber* X 1,102 sententiis. Cf. Ov. Met. XI 190; II 218. Cic. ap. Suet. Caes. 55 rerum frequentia. — *densus*: X 1,68 sententiis. (Poët). — *plenus* modo cum ablativo modo cum genetivo positum invenitur. abl.: I 8,19 huius modi impedimentis; IX 2,19; 3,16; 4,136; II 8,3. genet.: IV 2,75 irae; IX 4,108 auctoritatis; ibid. 2,10 varietatis; X 1,44 spiritus; 1,96 iucunditatis et gratiae; XI 1,34 sanguinis. Videtur Quint. genetivum maxime adhibuisse substantivorum abstractorum, sed concretorum ablativum. Cf. IX 3,1: plenum 'vino', non 'vini' . . . iam dicitur. V. Schmalz, Antib. s. v. — *promptus* XII 1,23 manu (Liv. Vell.) — *solutus* III 8,28 luxu (cf. I 2,6 infantiam solvimus deliciis). — *varius* X 1,96: figuris; cf. IX 4,130.

Ablativi mensurae exempla haec fere memoranda sunt: VIII 6,16 nimio maior aut . . . minor. Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 380 § 99, ubi hanc locutionem sermonis plebei propriam fuisse dicitur. Similiter legimus Quint. VIII 4,25 infinito plus; XI 3,4 infinito magis cf. 3,172.[1]) (V. Dräger l. l. I p. 566).

Haec exempla iam spectant ad affinem *ablativum comparationis*, qui saepe invenitur; cf. II 4,4 plura iusto;[1]) IX 4,126 longius iusto; III 6,65 nihil melius praeteritis; I 5,31 numquam plus una; cf. III 6,9 (at III 6,10 plus quam unum); III 6,70 maior praetoria cognitione summa est.

Quod attinet ad *ablativum temporis*, crebro nudus ablat. ponitur, ubi praepositionis usum exspectaremus: Cf. VII 4,22 quo tempore, bello an pace? (V 10,42 *in* pestilentia, *in* bello; XII 1,28). Atque legimus etiam *die* pro *in die* X 3,8 Vergilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varius. Cf. IX 2,34 Asinium Poll. dicentem facit: '*bisque eodem die* vitam dedit'. Cf. Hor. sat. II 1,4 mille die versus deduci posse; sat. I 4,9 *in* hora. — Varro r. r. II 7,7 bis die, Verg. ecl. III 34; Liv. XXVIII 6,10 septiens die. Suet. alii. V. Schmalz, Lat. Syntax[4] p. 388 adn. 1.

Ablativus pretii: III 1,10 discere decem milibus denariorum; VI 3,35 nimium risus pretium est, si probitatis impendio constat.

Ablativus causae: praeter ea verba, quae supra allata sunt, commemorandum hic videtur V 13,12: appellare magna pecunia. Cf. Tac. ann. III 38 postulare repetundis; Suet. Oth. 2 damnare repetundis, Nero 31 convincere scelere.

Ablativus loci: mari ac terra VII 10,13; cf. Liv. XXIV 40,4; Sall. Cat. 53,2. Flor. II 8,11. caelo terraque XII 10,19; cf. Cic. de fin. V 9: caelo, mari, terra, *ut poetice loquar*, v. Holstein ad h. l! — alto ferri XII 10,37. — Imprimis sic ponuntur: *liber* VII 3,27 libro quinto; saepius; *locus* VIII 6,67 summo loco; V 13,22 multis locis; *pars*: IX 4,77 prima statim parte. Cf. etiam XI 3,122 adversis subselliis sedere; V 14,31 totis vallibus fluere.

Ablativus modi semper fere invenitur adiecta praepositione *cum*: IV 1,16 cum modo; V 10,67 cum cura; X 1,72 cum venia cf. I 5,11 (Ov. Trist. I 1,46 cum venia); X 1,116 cum iudicio; ibid. 2,3.

---

[1]) cf. Arch. lex. VI p. 463 sq.; Kühner l. l. § 225 adnot. 13.

Caput III.

De praepositionum usu.

De praepositionibus haec maxime digna videntur, quae afferantur: *Circa*[1]) quae praepositio apud Varronem et Sallustium omnino deest, apud Ciceronem raro, apud Caesarem et Cornelium Nepotem rarissime invenitur, omnium paene frequentissime a Quintiliano adhibetur: 1. adverbialiter: X 7,16 quae sunt in ea (via) circaque; cf. XII prooem. 2; IX 2,45. 2. de loco: circa forum VI 3,38; circa monumentum VII 9,5; pro praepositione ad vel apud: I 5,8 circa Padum (Liv. XXXI 35; Vell. II 4,2). — 3. de tempore: circa tempora illa XI 3,143 (cf. Vell. I 10,6); XII 10,4 c. Peloponnesia tempora; tempus significatur etiam hominum nomine, ut II 4,41 c. Demosthenem; II 17,7 c. Tisian et Coraca; XII 10,6 floruit c. Philippum. Sen. contr. 1 prooem. 6; Vell. I 17,1. — 4. creberrime autem aliarum praepositionum vicem obtinet significans d e, i n a d aliaque; cf. disputare c. I 5,34; trepidare I 10,35; errare II 5,26; haerere I 1,21; morari I 1,35; VIII 4,4; versari (= *σπουδάζειν περί τι*) saepissime, ut II 15,15; III 6,85; VI 2,22 (tamen v e r s a r i in III 8,14; V 10,43; VII 1,48 et passim; v. Bonn. lex. s. v. versari); plus valere IV 5,6; multum operis habere V 7,36; consistere saepe, ut VI 2,26; 3,20; praestare XII 10,12; praeterea circa apponitur his substantivis: diligentia I 8,15; differentia II 15,1; fabula VI 1,41; dissensio III 11,5; custodia XI 1,56; iactatio XI 2,22; labor II 16,14 (laborare VI 4,1 et III 11,21); quaestio III 3,10; simulatio[2]) IV 1,9; subtilitas III 11,21; sudor V 7,1. Vell. Sen. Tac. Suet. Gr. 18 versari circa; Nero 23 occupatum circa haec. (Cf. Thes. s. v.)

Citra[3]) usurpatur: 1. adverbialiter VIII 6,76 melius ultra quam citra stat oratio. 2. idem est quod sine vel praeter cf. XII 6,4 ubi sine et citra variationis causa promiscue adhibentur: plus si separes, usus sine doctrina quam citra usum doctrina valet; cf. II 19,2. Hic usus tam late patet, ut satis sit aliqua exempla exhibere: I 4,4 c. musicen; ibid. 5,64; 10,33; II 1,9 c. complexum rerum; XII 10,9 longe c. aemulum; II 4,22; VII 2,13. Ov. Cels. Col. Sen. Plin. mai. et min. Tac. Suet. alii.

Extra: I 5,18 e. carmen; II 5,23 e. periculum positum (cf. Vell. II 79,1 e. dilationes positus); III 4,7 aut in iudiciis aut extra iudicia. — Adverbialiter invenitur IV 1,31 ad causam extra pertinent; cf. IV 1,50; V 11,44 extra (= extrinsecus) petita; cf. VII 4,18. Denique idem fere valet quod sine VII 1,48 e. dubitationem.

Infra non solum dicitur de loco et de dignitate, verum etiam de tempore I 7,20 Ciceronis temporibus paulumque infra; cf. Cic. Brut. 40.

---

[1]) cf. Dräger l. l. I p. 617 sq.; Archiv. lex. V p. 294 sqq.; XIII p 365 sqq.

[2]) Illa veterum c i r c a o c c u l t a n d a m e l o q u e n t i a m simulatio; cf. Landgraf, Arch. lex. IX p. 559, qui circa sequente gerundivo occurrere apud Porphyrionem, Florum, Plinium ep. Front. docet. Adde Jul. Dig. 35,1,21 circa adeundam hereditatem.

[3]) cf. Hand-Tursellini II p. 81 sqq.; Schmalz, Lat. Syntax[4] p. 400 sq.

Inter: 1. de tempore VI 2,30 inter otia (cf. Plaut. inter negotium Stich. V 3,6) i. moras XI 3,131; cf. IX 3,79 (vox Afri!) inter pericula — inter adversa.[1]) Jure Meister nunc secundum codd. etiam XII 5,2 *inter adversa* scribit (cf. Berliner Phil. Wochenschr. 1904 p. 190); cum gerundio verborum: I 3,12 inter ludendum (cf. I 1,36 inter lusum); IV 5,4 et X 6,5 i. dicendum; XII 7,6 i. discendum; XI 3,136 i. agendum (at XII 3,10 nunc Meister legit *in agendo*). Plaut. Verg. Suet. Ner. 32; Caes. 45. — 2. cum verbis quibusdam coniungitur: esse inter prima rudimenta I 8,15; i. necessaria V 12,3; XII 10,6 i. praecipuos. Cf. I 8,6 i. praecipua legere; XI 2,47 i. praecipua servandum est; X 1,116 i. praecipuos ponere; cf. ponere inter: VIII 3,61; IX 2,27; 2,102; 3,97; numerare inter: III 7,18; VI 3,111; IX 2,55; 2,58; habere inter V 12,12; I 8,21; VIII 6,31; 6,62; IX 2,106; 4,16; reperire i. I 4,26; invenire i. V 12,19; i. philosophos reddendus X 1,75 (cf. Krüger ad h. l.); I 1,16 inter quos Eratosthenes (cf. Friz l. l. p. 57 adnot.). Maxime autem notandum est X 3,13 inter paucos disertus (cf. Liv. XXII 7,1 inter paucas memorata populi Romani clades; Curt. IV 8,7 *in paucis* Alexandro carus.) Cf. IX 4,28 (vox Maecenatis!) unus inter miserrimos. Tac. Germ. 29 non numeraverim inter Germaniae populos; ibid. 30 fortunam inter dubia, virtutem i. certa. Cf. Vell. Pat. II 7,7 inter perniciosissima numeraverim; II 29,4 inter maxima (sc. vitia).

Per.[2]) Ne huius quidem praepositionis usus intra terminos sermonis aureae aetatis constitit et eos, qui latius fines eius extenderunt, Quintilianus secutus est. Adhibet enim per non solum de modo (cf. Bonn. lex. s. v. III), sed etiam alio sensu: 1. ad pronomina *hic* et *qui*, ubi veteres ablativo instrumentali utuntur[3]): omnia, per quae I 5,2; haec locutio per quae saepissime reperitur: IV 1,5; 2,57; 81; V 7,4; 7,32; 11,13; IX 2,92; X 1,87; XI 2,25; 3,16 et saepe. Item per haec: V 10,11 efficitur per haec; cf. IV 2,1; VI 2,4; per ea V 10,8; per quod V 9,9; per hoc V 14,32; per hoc ipsum V 10,79; per id V 10,11; per quid VII 1,5; cf. III 8,34; per alia II 10,9; per aliud V 10,11; per hanc (= translationem) explicari VIII 6,8; per quas imagines VI 2,29; XI 1,88 per quam (= industriam) exierint de servitute. — 2. pro praepositione ab, quam priores usurpare solebant, cum verbo passivo: III 1,5 ab et per promiscue leguntur: non inventa per me, sed ab aliis tradita; (VII 8,2 per propinquos rogata); IX 3,49 patefacta per me; XII 11,31 per nos adiuvari. Vel etiam pro nudo ablativo: III 11,23 neque per ambages fatigabit. Sed ob oculos versatur *via* (ambages). Sic per translationem utique ad significandum spatium, per quod aliquid extenditur, non solum invenitur apud verbum

---

[1]) Emendationem probabilem huius loci depravati v. apud Norden, Antike Kunstprosa I p. 270 adn!

[2]) Cf. Arch. lex. II 497 sqq.

[3]) Cf. Archiv. lex. IX 559, ubi Landgraf („Über das Latein d. Horazschol. Porphyrio") dicit: „Nichts ist häufiger bei Porph. als die Verbindung *per hoc, per quod* significat oder dicit. Dieser Gebrauch des per für den abl. instr. . . . spielt auch in der Africitas eine große Rolle".

ire, sed etiam apud alia quibus motus aliquis intellegitur. (Dräger l. l.): Ire: I 8,7 cum per omnes et personas et affectus eat; XI 1,84; XII 10,62; I 7,35; X 5,21 per totas ire materias; IV 2,32 ire per medium; cf. XII 10,80; 8,13. VIII 4,7 per gradus itur; VI 1,11 per singula (cf. VI 1,1); VII 1,64 per singulas partes; per plures I 2,13. — Ducere: III 7,15 per hoc opus; V 7,20 per gradus (cf. II 4,34 per gradus augere; VIII 4,26 per gradus ascendere); X 1,85 per... auctores ducere ordinem;[1]) I 6,12 per omnia ducere. — Sequi: per omnia X 1,28; 2,24; XII 10,62. Hic afferendum illud per omnia[2]) V 2,3 = per omnes partes; cf. V 14,20; 24; I 5,41 = in omnibus, omnino. Liv. Vell. poster. — Concīdere III 11,21 per tam minutas particulas. — Decurrere per materiam X 3,17; IX 2,48; per capita VI 1,2. — Dissolvere per partes V 13,28. — Mittere per rectam viam oculos X 7,16. — Peccare per omne dicendi genus VIII 3,56. — Secare per minutissimas partes V 11,30 (at V 10,90 secare in species; cf. VIII 6,13). — Versare per omnes affectus XI 3,176. V. Schmalz, L. Syntax p. 405. Legimus ibi: Die limitierende (Bedeutung) ersehen wir z. B. bei Lact. I 313 ʻper omnia patri similisʼ. Cf. etiam Quint. V 14,32 se antiquis per hoc similes vocant. Vell. II 130,5 per omnia deis quam hominibus similior; cf. ibid. II 35,2. — Ex eo autem, quod quasi affluit sermo Quintilianeus eiusmodi locutionibus, colligi potest illum praepositionis per usum viguisse in sermone cotidiano.

Post: 1. de tempore sequente pronomine neutrius generis: III 10,3 post alia; ibid. 11,9 post quod nihil quaeritur. — 2. de dignitate: X 1,65 post Homerum.

Praeter saepe cum pronominibus *hoc, haec, quod* pro praeterea usurpatur (cf. Dräger l. l. § 271): pr. hoc VIII 5,28; pr. haec IV 4,2; 2,8; pr. quod XI 1,58; XII 11,9 (praeter id quod v. enuntiata causalia!).

Propter[3]): Formulae transitionis, quae apud optimos scriptores nusquam reperiuntur, occurrunt hae apud Quintilianum: propter quod X 1,10; V 11,43; IV 1,56; I 10,37 et passim; pr. quae II 13,14; X 1,61; 3,30; XII 1,39; pr. hoc II 5,10; 12,6; VI 6,6; XII 9,21; pr. haec I prooem 6 etc.; pr. id III 10,3 (Semel tantum legitur propterea VII 2,15 sequente *quia*). Sensus idem est atque „quae cum ita sint“, non, ut Becher quaest. gramm. p. 10 dicit, propter idem valet quod causa. Haec autem significatio (finalis) aliis locis invenitur cf. V 8,1; IV 4,4 pr. hoc solum *ut* cf. XII 1,34.

Ex: ex pendens a pronominibus vel superlativis apud omnes scriptores invenitur. V. Bonn. lex. s. v. III. Multa praeterea exempla exstant cf. II 17,2 ex his nemo; III 4,15 ex iis ulla; X 1,4; II 10,1 ex

---

[1]) Quodsi Radermacher V 14,19 scripsit: ʻper constantem partis duxit ordinemʼ ubi in libris exstat ʻprioris autem partis duxit ordinemʼ, recte eum vidisse puto; nam etiam ducere ordinem desideraret praepositionem per; et Quint. amat ipsam locutionem per ordinem; cf. IV 2,72; XI 2,20; 2,23; cf. etiam II 5,6 per vices.

[2]) Jure igitur Spalding scripsit V 13,24: ut paria sint ⟨per⟩ omnia.

[3]) Cf. Schmalz, Antib. s. v.

omnibus novissime; VII 9,9 primum ex his; VI 3,10 unus ex his; 1,13 unum ex supra dictis; V 11,1 tertium ex iis; X 1,114 non alius ex nostris; XI 3,57 quodcumque ex his vitium. Et quod Grasberger[1]) p. 65 dicit: 'mirum videatur Plinio ita per partitionem hanc solam praepositionem (= *ex*) adhiberi, *de* non item', idem etiam apud Quintilianum valet. In illo libro laudantur Plin. ep. III 7,2 minorem *e* liberis duobus amisit (cf. Quint. VI prooem. 7 alterum ex duobus eruit lumen.); Sen. ep. XIII 2,16 Chelidon, unus ex Cleopatrae mollibus. — Tum post verba: metiri IV prooem 2; aestimare V 10,28; habere ex = numerare in II 20,1; frequentissime legitur *mutare aliquid ex aliqua re*: I 5,59; II 7,1; II 13,8; III 6,63; IV 2,29; VIII 5,33; 6,67; XI 3,134; XII 10,70. Occurrit mutare ab aliqua re II 13,11; IX 1,13. (Cic. Tusc. disp. III 74 *de* institutis mutandum; leg. II 29 *ex*, Acad. I 40 in tertia parte; ceteris locis Cic. praepositionem omnino non adhibet). Cf. medius ex duobus XII 10,58; medius affectus ex VI 2,17. Praepositione *ex* Quint. etiam utitur cum adiectivis vel participiis vicem substantivorum obtinentibus pro adverbiis: ex abundanti IV 5,15; V 6,2; VIII 3,88. — ex adverso IV 2,22; V prooem 2; 13,31; VI 4,14. — ex aequo (= *ἐξ ἴσου*) VI 1,8 cf. Tac. ann. XIII 2. — ex confesso III 5,3; — ex contrario VI 1,16; 3,64; 4,10; cf. e contrario I 5,43; V 14,4; X 1,19. — ex diverso: IV 1,29; 1,42; V 10,64; VII 10,3; VIII 6,67; IX 2,93; IX 3,8; 3,68; 3,86; 4,42. — ex facili IX 2,53. — ex inopinato VIII 5,15 (cf. Cic. Verr. I 112 ex improviso) — ex integro X 1,20; 3,6; 3,18; XI 3,156 (de integro II 4,13). — ex pari II 19,2. — ex professo XI 1,33. — ex serio VI 3,110 (Spalding). — Quintilianum praepositionem ex valde amavisse et praepositioni de praetulisse, cum apparet ex iis quae supra dixi, tum etiam ex talibus locutionibus: ex integro (cf. supra!), ex industria: I 5,8; V 7,32; VII 6,1; VIII 3,48; X 1,20; 1,125; at de industria (Cic.!) legitur semel IX 4,144; cf. *ex more* XI 3,129 ut Ter. Sall. Nep. Verg. Ov. Plin. min. Flor. Suet. Cf. Schmalz, Antib.[7] s. v. v. mos et *ex*. Cf. item *ex eadem causa* III 10,2; XII 7,7; ex qua causa V 4,2; qua ex causa I prooem 2; multis ex causis V 12,3; iusta ex causa XI 1,57; ex variis causis I 4,25; illa ex causa XII 1,5. Cic. raro *ex* sic usurpat (rep. II 13), Caes. numquam; cf. qua *de* causa B. G. I 1,4; eadem de c. B. G. II 7,2; multis de c. B. G. IV 16,1; VI 1,1; B. c. III 66; leviore de c. B. G. VII 4,10. V. Schmalz, Antib. s. v. ex. Legimus Quint. IV 2,15 quibus de causis; eadem de causa I 6,36.

In cum ablativo: 1. cum adiectivis neutrius generis: in arduo I 10,8; in dubio V 14,13; VII 9,9; 9,13; in opaco I 2,18; in plano VIII 3,18; in publico XII 3,12; in tuto I 8,7; XII 11,7. — 2. = inter: I 6,44 neque in nobis quisquam; X 1,124 in Stoicis; 2,9 in his nemo sit inventus.

cum accusativo: 1. cum adiectivis neutrius generis: in adversum XI 3,54; 3,121; in contrarium vertere III 11,5; IX 3,33; XI 1,2; recurrere V 9,6; mutare IX 3,71; ferre XI 1,8. — in diversum III 6,55. v. Bonn. lex. s. v. diversus I *α* c. in longum IV 2,51; VIII 2,22. in longius trahere

[1]) L. Grasberger, De usu Pliniano, Wirceburgi 1860.

I 10,48. in peius I 1,5; 3,1; II 16,2; X 2,16. in summum XI 3,96; XII 10,78; 11,28. in totum III 8,58; IV 1,63; 1,72; VII 1,31; VIII 6,8; IX 2,88; 2,98. in universum III 11,27. V. Bonn. lex. s. v. universus. in ultimum VII 1,12. — 2. de tempore terminum quendam indicans: XI 3,21 non ad praesens modo tempus, sed etiam in futurum; I 1,36 prosequitur haec memoria in senectutem cf. XII 11,20 usque in senectutem; VIII 3,68 in illum usque diem. Hic usus *usque in* non invenitur apud optimos scriptores. — 3. finem significans; in hoc I prooem. 7; III 11,21; VI 2,27 et passim. V. Bonn. lex. s. v. in. Cf. Schmalz, Syntax,[4] p. 412 sq.

Pro: I 10,23 pro rerum modo=pro rebus; cf. XI 3,65; II 4,14 pro modo virium=pro viribus. Notanda est illa locutio: *est aliquid pro aliquo* (aliqua re) eodem sensu ac prodest alicui: III 8,56; IV 2,7; 3,6; V 13,7; VII 1,29; 35; 2,47. Cf. Schmalz, Antib. s. v. II 385, qui laudat Liv. Curt. Tac.

Sub: II 1,13 s. uno; 17,33 s. eodem magistro eruditi. (Tac. Suet.) — sub qua lege VII 4,38 (cf. Liv. ICt. Tac. Suet.) — sub nomine meo VII 2,24; I prooem. 7. (Liv. Sen. Tac. Suet.) —

Saepe praepositio in membro secundo omittitur: II 20,5 in dicendis ac non dicendis; V 14,11: in causis et quaestione; cf. VIII prooem. 7; III 6,72 de nomine aut scripto et sententia vel ratiocinatione; ibid. 6,73: ad id quod pronutiat iudex, non id propter quod pronuntiat[1]); cf. X 2,16 pro; XI 1,12 secundum; 1,77 ab; VIII 6,2 gratia; III 7,8: ut in Jove regendorum omnium, in Marte belli, in Neptuno maris: inventa, ut artium in Minerva, Mercurio litterarum, medicinae Apolline, Cerere frugum, Libero vini. cf. VII 3,11: quia in hac quaeritur, an..., illo, an..., cf. III 6,37 in voce quaeri putat..; rebus coniecturam etc; VIII 5,33 ad quam usque nos vocatis vetustatem? nam si illam extremam etc. Cf. Ströbel, Tulliana, München 1908 p. 27 sq.

Variantur etiam praepositiones inter se, ut V 2,1 in — adversus; III 1,5 per — ab; IV 1,11 cum — per, aut cum casu aliquo, ut I 5,45 per — ablativus. cf. VIII 6,75 vulgo et inter eruditos et apud rusticos.

Caput IV.

De temporibus et modis.[2])

Indicativus imperfecti positus invenitur, ubi indicativum praesentis exspectamus imprimisque verba impersonalia sic reperiuntur: X 6,2 neque rerum ordinem modo, quod ipsum satis erat, intra se ipsa disponit; cf. ibid. 5,7 fas erat; V 11,13 erant longiora (at XI 3,121 prope infinitum est); VI 3,94 urbanum non erat. — Hic usus frequentissimus est in apodosi enuntiatorum condicionalium (v. enunt. condic.!)

---

[1]) Recte igitur Meister, Berl. Philol. Woch. 1904 col. 125, resumpsit lectionem codd. AGT reiecto vocabulo *ad* ante actionem, quod poni voluit Spald. VII 6,4: ad actorem an actionem.

[2]) Cf. Kühner l. l. II § 30 sqq. Dräger l. l. I § 120 sqq. Historische Grammatik der lat. Sprache III p 99 sqq. (Leipz. 1903).

Futurum pro coniunctivo praesentis vel perfecti, quod tempus Quint. valde amat, vi potentiali subiecta saepius legitur: XI 3,124 non dedecebit; II 17,26 falsum erit; X 3,31 nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget (cf. Krüger ad h. l. „d. Ind. Fut. statt des sonst gew. Conj. Präs.") cf. V 2,2. — In apodosi enuntiatorum condicionalium: II 17,1 finis non erit, si exspatiari velim; III 6,16 si dicat... coget; VI 3,35 si... velimus, nec modum reperiemus et frustra laborabimus. XII 10,28 si... scribantur,... efficient. Cf. Blase, Arch. lex. IX p. 39 laudat: I prooem 20; 25; I 6,44; 10,7; 43; 44. Praeterea v. Blase, Hist. Gramm. d. lat. Spr. III p. 120: „Auch beweist die erst seit klass. Zeit erfolgte Verbindung von forsan, forsitan mit dem Futurum nicht etwa dessen potentiale Bedeutung, sondern umgekehrt, daß die temporale Kraft desselben sich verstärkt hatte." Hoc vix recte concludere mihi quidem videtur Blase, utique si Quint. usum respicimus. Nam primum Quint. forsitan semel futuro adiungit X 2,10 'qui hoc agit, ut prior sit, forsitan, etiam si non transierit, aequabit,' ubi puri subest sensus futuri (i. e. signif. tempor.), frequentius autem coniunctivo potentiali cf. I 12,8; VII 4,6; IX 2,107; II 16,11; forsan sic usurpatur I 5,6; XII 1,31. Tum futurum sensu potentiali adiecta voce fortasse occurrit II 13,3: 'erit haec quidem rectissima f. ratio', saepius autem invenitur fortasse iuxta coniunctivum potentialem: I 10,4 enumerent f.; IX 4,17 f. secuti sint; cf. X 1,107; XI 3,39 virtus distinguendi f. sit parva; XII 10,26 f. possit. Ergo ne illud quidem cadit in Quintilianum l. l. p. 120: „So steht fortasse meist mit Ind. Fut., aber daneben seltener mit d. Konj. Präs." — Futurum etiam pro indicativo praesentis legitur; cf. IV 2,117 hic expressa et sensu tincta esse debebunt (=debent). Quare non recte Meister II 17,19 confitebor mutavit in confiteor (sequitur concedam). cf. II 19,2 credam — putabo.

Futurum pro iussivo per modestiam quandam ponitur, ut X 1,41 citius nos dimittet; ibid. 3,18 aliquando tamen affectus sequemur; ibid. 7,1 civilibus officiis renuntiabit et... convertet; II 4,20 incipiet; XII 9,6 praestabit; 10,37 validior spiritus nostros sinus tendat, non tamen alto semper feremur: nam et litora interim sequenda sunt; cf. IV 2,68 sq.: 'virginem rapuit; non tamen optio patri dabitur — punietur — dabit.' cf. ibid. 2,71 'tu ingenuum stuprasti, solve decem milia.'

Denique futurum saepissime occurrit pro coniunctivo in enuntiato obliquo, ut II 10,6 si volet; cf. IX 2,81; XI 1,28; II 21,16 qui nesciet; XII 1,3 qui malent; X 2,28 qui deerunt (sic legendum videtur); VIII prooem. 4 in quod inducentur; ibid. prooem. 12 credere modo, qui discet, velit; III 7,16 dum sciamus gratiora esse audientibus, quae solus quis... dicetur. Cf. Ströbel, Tulliana, München 1908 p. 24 sq.

Indicativum porro haud raro invenimus in oratione obliqua, qua constructione effingitur ipsius scriptoris sententia, quae ex contextu orationis quasi eximitur (cf. Dräger l. l. II p. 443 sqq.): V 12,13 quando, si negotium innocenti facit, liberet eum noxa qui admiserit; 11,24 ut,

si animum dicas excolendum, similitudine utaris terrae, quae... creat; IV 1,52 verum quoniam non est satis... quid iudicem sentire credibile sit, antequam incipimus; VIII prooem. 01 quae continentur. IV 2,74 stimulatos ab iis, quorum indulgentiores parentes erant: semper tamen habuisse e. q. s.[1])

Indicativum reperimus in enuntiatis quoque relativis, in quibus Cic. et elegantiores orationis vinctae scriptores ponunt coniunctivum: XI 3,171 habet enim in se, quod imitamur; IX 4,33 sunt quae videntur; IX 4,53 fuerunt qui coegerunt; ibid. 4,91 ut sint plures qui placent. —

De usu modorum haec fere sunt memoranda:

Modus *concessivus* saepe vocem sane additam habet: I 2,31 sane concipiat; VI 2,5; XII 1,23; IX 2,84 occurrit 'esto voluerit.'

Modus *potentialis* frequenter significatur particulis forsan (cf. supra!); forsitan v. supra! praeterea cf. I 5,16 absurdum f. videatur; VI 2,3 f. queat. fortasse: II 17,23; III 3,2; V 2,2. — III 6,6: erret, ut opinor.

Coniunctivus potentialis non solum praesente exprimitur, sed etiam — et id quidem saepius quam apud ullum scriptorem invenias — perfecto. Cf. H. Blase, Hist. Gramm. p. 202 sqq. § 40. Huius generis exempla in ordinem digesta componam in tabella paginae sequentis. Indubitata est forma potentialis, ubi exstat prima pers. sing., ceteris locis ex contextu rerum variisque ex causis colligenda est. Creberrime vis inest negativa vel additum est adverbium aliquod ut bene, fortiter, magis, facile.

Hic coniunctivus etiam in enuntiatis obliquis usurpatur: ut sic dixerim I prooem. 23; 6,1; II 13,9; V 13,2; 13,11; VI 3,93; VIII 3,55; IX 4,134 (cf. Tac. Dial. 34 et 40; Germ. 2). — ut ita dixerim I 12,2; X 2,15; IX 4,61. — ut vere dixerim II 10,5. — ut non dixerim X 1,77 (= ne dicam) cf XII 10,35 ut non (= ne) dicam pinguioribus. — sicut nemo dubitaverit VI 1,8. cf. X 1,14 sicut . . . dixerim (V. Blase l. l. p. 206!)

Verbi deponentis exemplum est VI 3,104 si brevitatis exceptionem detraxeris, omnes orationis virtutes complexa sit. cf. IX 4,17. Passivum nusquam sic usurpatur; nam quod exemplum Blase l. l. p. 206 affert X 1,24 'neque it statim legenti persuasum sit' non huc pertinet, quia hic est iussivus (cf. etiam Krüger ad. h. l.).

Nec desunt loci, ubi praeteritum tempus hoc coniunctivo significatur. I prooem. 19 fortasse nemo adhuc fuerit; X 1,107 fortasse epilogos illi (Demostheni) mos civitatis abstulerit; cf. IX 4,17 genus fortasse sint secuti non idem (Hic coniunctivus affinis est concessivo); IX 2,107: sed ut haec non sunt schemata, sic alia vel sint forsitan ac nos fugerint vel etiam nova fieri adhuc possint.

In enuntiatis optativis adhibetur plerumque particula utinam, et si opus est negatione, non ponitur, qui usus iam Cic. Att. XI 9,3 occurrit, tum apud Sallustium aliosque. Cf. Blase l. l. p. 137. De Taciteo

---

[1]) IX 3,100 Meister scripsit 'sicut ornant' secundum codicis A lectionem; sermo Quintilianeus nihil officere videtur.

1. pers. sing.	2. pers. sing	3. pers. sing.	1. pers. plur.	2. pers. plur.	3. pers. plur.
(nec) abnuerim I 6,33; V 8,3 affirmaverim XI 3.5 arcesserim IX 4,132; III 4,16 (nec) ausim IX 2,1; VII 4,28; VI 3,11; II 5,14		adduxerit (?) XII 6,7 afuerit II 13,1			
concesserim I prooem. 10; 15; 5,66; II 5,25; XII 1,23 contenderim I prooem. 11; 2,25; II 5,25 crediderim XII 1,20 damnaverim IV 5,16 deceperim IV 2,64 dissuaserim IV 2,121	concesseris XII 1,3; VII 2,56; XI 1,36	cesserit V 7,2; X 1,101 (cf. Blase l. l. p. 182) contulerit X 5,4 (cf. Ov. rem. am. 707 contuleris) convenerit (Bonnell; Meister: *conveniret*) XI 1,31 (cf. 34) decuerit VIII 3,14 dederit X 1,85; II 4,7	cesserimus X 1,86		concesserint I 10,29 decuerint VIII 6,43 defuerint I 1,11
dixerim I 5,63; IV 2,86; VII 2,52; VIII 2,19; 6,18; III 3,7; VI 2,1; 3,110 duxerim I 3,2; IV 2,85; IX 4,146 excluserim I 8,7 fraudaverim II 14,1 imperaverim XI 2,27 iunxerim V 10,78 maluerim X 1,26 negaverim II 12,1; III 8,60; VII 3,18; XI 2,23	dixeris III 5,9; VI 4,4; VIII 1,2; 2,7; 3,61; 5,29; 6,19; VIII 3,48; XII 10,22; XI 2,67 invaseris (fortissime) V 13,21 mutaveris III 1,6	dissuaserit II 8,7 dixerit IV 2,100; XII 3,1; III 3,13; II 17,12 dubitaverit I 10,12; II 17,41; IX 4,114; VI 1,8; X 3,22; XII 2,10; 10,20. fuerit: I 1,37; 31; 6,43; III 3,6; IV 2,47; 54; X 1,2; 5,15; XI 2,22; XII 1,2; 1,29; VII 1,21; 3,34; II 4,32; V 10,124 negaverit I 11,17; III 4,14	dixerimus VI 2,27	Desunt exempla	dixerint VIII 6,30 (bis!) duxerint IV 1,37 fuerint V 11,37; XI 1,28 fugerint VII 1,40 moverint II 16,8
numeraverim III 7,18 opposuerim X 1,105 optaverim I 1,6 permiserim II 15,4; IX 4,58; XI 3,89; 1,47 petierim VI prooem. 14 praeceperim (AB) IV 1,44 (Raderm. aliter!) praeoptaverim VIII 3,8 probaverim III 9,8; IV 5,3; VI 1,32; 1,47 rettulerim VIII 2,11 suaserim II 5,23; IV 1,22; X 2,24 tulerim XI 3,57; XII 10,27; 8,4	solveris (si confundas) IX 4,49 verteris I 1,5	nocuerit I 7,34 offenderit I 3,10 oneraverit I 2,15 (spectet) persuaserit I 6,42; IX 4,16 (Blase l. l. p. 182) profuerit II 19,2; V 10,122; XII 5,2 superaverit X 1,46 (Blase p. 182!) tulerit XI 1,49 (perdat)			praebuerint I 2,4 profuerint V 10,122; VII 2,33

usu v. Dräger p. 13. Blase laudat ex Inst. or. I 2,6 ut non perderemus; IX 3,1 ut non peiora vincant; X 1,100 ut non inquinassent. Adde II 5,17 ut non pigeat.

Denique commemorandum est usum formae fueram[1]) pro eram in passivorum vel deponentium verborum plusquamperfectis apud Quintilianum his locis inveniri: V 10,36 deprensus fuerat; IX 2,74 id fuerat actum; XII 9,16 ex diverso quam opinati fuerant.

Erat[2]) legitur: II 21,21 erat complexus; V 10,101 erat usus; VI 1,47 erat latus; XII 10,1 erat propositus.

Reperitur autem participium verborum frequentius cum fuero quam cum ero coniunctum: I prooem. 8 erunt mutata, adiecta; I 5,53 si factum erit; II 7,5 erunt versati; 21,14 erit consecutus cf. X 7,1; II 13,17 dicta erunt; III 7,15 gesta erunt; V 2,3 erit iudicatum; 3,2 erit habita; 10,22 ventum erit; 7,17 confessus erit; 13,15 erit dictum; X 1,5 desideratum erit; XI 1,76 appellatum erit; 2,39 composita erunt. Adde I 4,1 adeptus erit.

Cf. II 6,6 consummat fuerit; 17,24 si fuerit abreptus; III 6,1 si fuero exsecutus; 6,19 si excitatus fuerit; 11,26 si digressi fuerimus; IV 1,59 si fuerimus ingressi; 176 quotiens fuerimus usi; cf. V 13,25; IV 2,36 si fuerit exposita; 2,56 si destituti fuerimus; 3,2 si coniuncta fuerit; V 10,122 cum proposita fuerit (11,32 si tabulae signatae non fuerint); 12,1 adiecta fuerint; 12,3 si victus fuerit; 14,4 damnatus si fuerit (locus translatus ex Dem. in Androt. 7); VII 1,14 si intuiti fuerimus; 1,44 fuerit transactum; 4,20 si testatus fuerit; 6,8 deprensus fuerit; VIII prooem. 30 sin praeparata fuerit; VI prooem. 15 si fuerint minus effecta. Hunc usum in sermone vulgari viguisse inde apparet, quod iam apud Plautum et Terentium invenitur nec minus in epp. Cic. Cf. Blase, Hist. Gramm. III p. 188 sq. § 34. Idem in Arch. lex. IX p. 322.

Habere nonnumquam coniunctum legitur cum participio perfecti passivi. V. accusativum praedicativum!

Caput V.

De enuntiatis obliquis.

§ 1.

De interrogationibus obliquis.[3])

Quod attinet ad particulas, quibus simplices interrogationes Quintilianus introducat, valde recedit ab usu aureae aetatis. Videamus nunc, quibus particulis quomodo usus sit.

---

[1]) Cf. H. Blase: 'Geschichte des Plusquamperfekts im Lateinischen'. Gießen 1894. Idem in Hist. Gramm. III p. 220 § 50. — Schmalz, Lat. Synt.[4], p. 487 § 226.

[2]) Blase, Gesch. d. Plusqu., comparat p. 60—61 hunc usum singulorum scriptorum, sed omittit Quintilianum.

[3]) De Cic. cf. Gutsche, De interrogationibus obliquis apud Ciceronem observationes selectae. Halle 1885.

1. *an*: Saepissime omnium scriptorum Quintilianum in simplici interrogatione obliqua an usurpare demonstratur in Thes. s. v. Cf. III 5, 8; V 13,19; passim. IV 2,31: refert an; V 13,24 videndum an; V 14,13 est in dubio an; V 12,10 interrogo; VII 1,20 quaeritur; VII 3,22 quaestio.

2. *num*, quam particulam apud Ciceronem quoque sic legimus, satis frequenter reperitur. Cf. VII 4,23 refert num; IV 2,79 videamus; VI 1,3 dubitare; VII 1,49 quaero.

Nihil igitur interesse inter an et num ex verbis supra allatis nec minus ex hoc loco apparet: VII 1,49 quaeramus igitur, num infirmari e. q. s.; tum legimus: quaerendum igitur, an aliquid inveniri possit.

3. *ne* frequenter eodem sensu ursurpatur, ut V 10,54 quaeritur sitne hoc virtus; VIII prooem. 9 possetne fieri et an esset futurum. Notandum est illud: XI 2,35 in experiendo teneasne, quod apud Ciceronem et Caesarem nusquam legitur; cf. Schmalz, Antib. I[7] p. 161 s. v. an. *Ne* iuxta *an* etiam ita invenitur, ut non copulatum sit cum voce aliqua V 7,13 an desierint, an per hoc ipsum reconciliari velint, ne corrupti sint, ne paenitentia propositum mutaverint. Fortasse anaphorae causa sic ponitur. Cf. Schmalz, Lat. Synt. p. 518[4] laudat Arnob. 10,15.

In duplicibus obliquis interrogationibus modo duae leguntur particulae modo sola part. an in secundo membro posita: 1. utrum — an — an VI 1,18 utrum ferro an igne an veneno etc. VII 2,20; III 6,21. — 2. ne-an — an V 12,14; cf. II 19,1 naturane an doctrina; III 10,5; IX 4,48. — 3. toties autem ac saepius invenimus eam constructionem, qua nulla particula ante prius membrum ponitur, sed ante alterum tantummodo an adhibetur; cf. IV 2,37; II 2,01. XI 1,47: loco publico privatone (= an!), celebri an secreto, aliena civitate an tua, in castris denique an foro dicas, interest plurimum.

Pro utrum legimus *utrumne* quater: III 3,13; XII 1,40; V 11,28 (bis); affertur hic locus Ciceronianus de inv. I 31,51 (cf. Schmalz, L. Synt.[4] p. 471 § 208). Semel autem Quint. particulam ne a loco suo removens citat: 'utrumne illius an tuum malis?' (Cic. l. l. utrum illudne an tuum malis?). Occurrit utrumne apud Sisennam fr. 123 P (V. Schmalz, L. Syntax[4] p. 520), tum apud scriptores argenteae aetatis. Et hic usus et Ciceronianus utrum — ne — an sermoni plebeio imprimis tribuendus est. Cf. Landgraf, De Cic. elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Am. conspicua, p. 40. Nec minus in consuetudine vulgari versabatur *an vero* (oder aber): III 8,34 ut aestimari possit, plus in eo, quod petimus, sit commodi, an vero in eo, per quod petimus, incommodi. Hic usus iam occurrit apud Plautum, ut Poen. 529; Trin. 1018; apud Ciceronem Arch. 30; Pro Quinct. 68, Verr. V 90; IV 194. De ICt cf. Kalb, Roms Juristen, p. 8; de Porphyr. cf. Archiv. lex. IX p. 555. August. De civ. 15,27.

Notandum invenitur VII 3,20, ubi particula num (ob nicht) introducitur duplex interrogatio sequente an. — In posteriore obliquae interrogationis parte ponitur nonnullis locis necne, ut III 6,73; IV 2,77; VII 3,39; 2,7; 4,4. An non nusquam legitur.

Saepe invenitur non video sequente quare, ut III 2,2; VIII 2,3; vel cur, ut VI 3,109; III 2,4; IX 3,47. — VIII 3,33 nihil video; XI 3,16; causa cur; ibid. 3,59 nihil causae est cur. Quare alias quoque reperitur: VII 2,3; X 1,21; 2,18; XII 1,37. — Quando rarius legitur sensu interrogativo: II 17,8; VII 10,12; XI 1,59; 3,159. — Denique ut usurpatur vi interrogativa subiécta: IX 2,40 ut sit (res) gesta ostenditur; cf. VI 5,10. Ut apud Ciceronem quoque reperimus et maxime illam locutionem *videre ut.*

Particulam num magis magisque reici a scriptoribus argenteae aetatis et in eius locum succedere an affirmat Schmalz, Lat. Synt.[4], p. 518; cf. Dräger, Synt. des Tac. p. 64. — Tac. quidem usurpat num post cunctari, hist. I 70, Suet. post idem verbum ter adhibet an (Dräger l. l.). In summa apud Tacitum num ponitur post verba dubitativa ad affirmandum, ubi nos vertimus „ob nicht". Apud optimos scriptores hanc vicem obtinuisse constat an post verba dubito et nescio, quae formulae ad modeste affirmandum adhibentur. Ab hoc usu recedit Quint., qui istis formulis etiam vim negativam subicit. Scite disseruit Törnebladh, de usu particularum, p. 41, haec: 'Videtur Quint. omnino ita illam formulam usurpasse, ut ex ratione sententiae appareret, quae vis ei tribunda esset. Ubi enim ad affirmandum adhibita est, sequitur *fere* aut *comparativus* aut *superlativus.* Contra ubi negationem vel dubitationem exprimit, sequitur saepe *ullus* vel *umquam* vel aliud vocabulum, quo vis eius negativa intellegatur.' Quibus verbis plane assentiendum est, nisi quod adiciendum puto vim affirmativam praeterea vocabulis *quoque, etiam* significari: III 5,10 nescio an in causis *quoque* e. q. s. Cf. V 10,123 et III 8,40, ubi legimus *etiam.* Praeter eos locos, quos Törnebladh l. l. collegit, hi fere apud Quintilianum occurrunt: II 18,4 (maximus); III 1,2 (maximae); IX 2,100 (potius); XI 1,21 (magis). De formula dubito an cf. I 5,46 dubito an . . . potius appellem.

Inter exempla, quibus subest vis negativa, affert Törnebladh IX 4,1, ubi Lochmann et Spalding, quos secutus est Halm (etiam Meister sic legit), codicum lectionem *ulla* mutaverunt in *nulla,* sed falso. Nam *nusquam* apud Quintilianum reperitur nescio *an nullus, an numquam,* sed tantum *ullus* et *umquam.* Praeter exempla a Törnebladhio allata vide hoc: VIII 6,22 'id nescio an oratori conveniat nisi in argumentando', unde optime apparet vis negativa; nam *nescio an — nisi* modeste dicitur pro *non — nisi.* — Etiam eo, quod interrogatio obliqua anteponitur sequente verbo *nescio* vel *dubito,* vis indicatur negativa: I 7,24 an hoc voluerint auctores, nescio; IV 2,97 quod in foro an possit accidere dubito; IX 3,65 an figura sit dubito.

Denique etiam particulam si Quint. in interrogando adhibuisse Bonnell s. v. affirmat, quem secuti sunt Törnebladh l. l. p. 42 et A. Marty l. l. p. 35. Sed si locos ab eis allatos diligenter perpenderimus, videbimus si non utique pro an prositum esse, sed vim subesse condicionalem. Et unus quidem locus ex iis VII 2,4 nunc recte, ut videtur, mutatus est, et quod attinet ad III 1,3 ac VI 1,16 iam Törnebladhio 'paulo alius generis esse videntur'. Nam III 1,3: 'si ducti iucunditate

aliqua lectionis libentius discerent' non aliter accipi potest ac vi condicionali subiecta (verte: in der Voraussetzung, daß sie vielleicht . . . lernten).[1]) Item VI 1,16 sic intellegendum est, ut sensus condicionalis subsit. Exscribamus, quantum est necesse, locum istum: Pulsatum querimur: de re primum ipsa dicendum, tum si senex, si puer — si bene de re publica meritus: etiam si percussus sit a vili . . . crescit invidia (verte: Zuerst hat man von dem Fall im allgemeinen zu reden, dann (sc. dicendum) hervorzuheben, wenn es etwa ein alter Mann war etc.). Sic interpretandum esse docet sequens enuntiatum: etiam si etc. — Restat igitur, ut explicemus illum locum V 7,30, ubi legimus: 'Extra causam quoque multa, quae prosint, rogari solent, de vita testium aliorum, de sua quisque, si turpitudo, si humilitas, si amicitia accusatoris, si inimicitiae cum reo, in quibus aut dicant aliquid, quod prosit aut in mendacio vel cupiditate laedendi deprehendantur'. Nos vertimus sic fere: Auch außer dem Bereich des speziellen Rechtsfalles werden gerne mancherlei Fragen an die Zeugschaft gerichtet, die von Nutzen sein können, ich meine über die Lebensverhältnisse der anderen Zeugen sowie über die eigenen, nämlich dann, wenn schlechter Lebenswandel, gemeine Gesinnuug. . . vorliegt. Ea autem interpretatio colligitur primum ex contextu rerum. Non rogat patronus simpliciter testes, num turpes aut humiles ceteri, ipsi autem amici aut inimici sint, id quod insipientis sit, ac vix credibile videtur Quint. hoc praecipere voluisse, quippe qui ipse dicat V 7,20 'paulatim et pedetentim interrogationem fieri debere et imprimis circumspectam esse (ib. 7,31) et de vita universa, unde ultro patronus colligere possit, quod velit et animum testis ad id responsum ducere, quod eliciendum sit, per gradus'. Tum comparare possumus V 5,10: 'ceteris adiunctum testimonii loco ducitur, si inimicus, si minatus ante, si eodem in loco fuit', et imprimis VII 4,18: 'plurimum valent ex ipso, qui reus est, haec tria: vita praecende<n>s, si innocens, si bene meritus, si spes e. q. s.', ubi pariter per ellipsin omittitur verbum esse.

De enuntiatis adverbialibus.

§ 2.

Enuntiata temporalia.

Cum coniunctio. In universum dici potest hanc coniunctionem a Quintiliano adhibitam esse cum indicativo praesentis et perfecti (futuri et fut. exacti) coniunctam non solum ubi significatio vere temporalis inest, sed etiam ubi concessiva vel aliqua alia secundaria temporali admixta esse videtur.

Legimus indicativum particula *tum* in apodosi antecedente his locis: praesentis IV 2,38; 76; V 14,17; VI 4,14; VII 6,2; IX 2,40; X 2,27

---

[1]) Cf. VI prooem. 1: 'si qua ex nobis ad iuvenes bonos pervenire posset utilitas'.

et inversa constructione cum — tum XI 3,94; perfecti VI 1,44; 1,52; VIII 6,76; futuri exacti X 3,10.

Particula nunc praecedit X 2,28 sequente indicativo praesentis. — Sine particula tum invenimus indicativum plurimis locis. V. Bonn. lex.

Post particulam tum antecedentem positus est coniunctivus imperfecti XI 1,89, plusquamperfecti X 7,14 tunc adfuisse, cum id evenisset. — VI 1,16: iis temporibus cum — exercerentur.

Quod autem attinet ad imperfectum et plusquamperfectum coniunctivi, his temporibus Quint. utitur, si in primario enuntiato antecedit praeteritum tempus, ad quod refertur actio temporalis enuntiati. Exempli gratia afferam: VI 2,35; 3,44; X 3,13. — At VII 2,25 in primario legimus arcessit, sed significatione perfecti, quia praecedit 'torsit'.

Ubi autem *explicativa*, quae vocatur, inest significatio, *semper* ponitur *praesens et perfectum indicativi*, sed *imperf. coniunctivi*. V. Bonn. lex. Ex magno numero exemplorum pauca attulisse sufficiat: I 5,32 cum auditur; I 4,6 cum dico, cf. 5,27; cum dicit: IV 2,108; XI 1,31; VII 4,11; facit cum interrogat V 10,68; cf. 13,42; fit mixtura, cum accedit IX 2,37; cf. 39. — cum dixit II 15,16; VI 3,65; VIII 3,84; cum convicimus II 15,14.

Coniunctivus praesentis repetitam actionem designans rarius invenitur quam indicativus et tum maxime, si particulae cum coniunctivus potentialis secunda sing. pers. adiunctus ponitur, ut VI 4,20 quid enim, cum respondere non possis, agendum est. Quae constructio etiam apud Ciceronem reperitur. Cetera praesentis numeri exempla aut vim causalem aut concessivam habent, de quibus suo loco disseram.

Hic afferendum est illud *cum interim*, cui vis inest concessiva vel adversativa iuxta temporalem (= und dabei doch, während jedoch). Sequitur indicativus *praesentis*: I 12,3; II 12,2; X 1,111; XII 10,67.[1]) Coniunctivum non mireris, ubi verbum secunda pers. sing. positum est II 12,11 cum interim invenias; IV 2,37 cum i. nescias. Ille locus XI 1,11 cum i. persuadere deforme sit, non huc pertinet, quia ibi *cum* i. sensum causalem habet = da bisweilen. Cf. Hirtius, B. Gall. VIII 19,8; Nepos Ages. 17,1; Sen. ep. I 1,3; benef. III 1,1; de provid. 1,4; de ira II 33,4; *cum contra*: Sen. de benef. I 5,2. Eadem fere significatione Tac. adhibet *cum tamen* hist. I 62, ubi Heraeus dicit: „Mit dem Indik. des nämlichen Tempus wie im Hauptsatz 'und dabei doch, während doch'“ et adnotat alios locos, ex Cic. Verr. V 74; Verg. Aen. X 508; Ov. Met. XII 587; Flor. I 17,1 (cf. Dräger, Synt. d. Tac., p. 67). Comparari potest etiam Cic. Pro Cluent. 82 cum *interea* Cluentianae pecuniae vestigium nullum invenitis. Tusc. disp. IV 3,6 cum *interim* Amafinius . . . exstitit. — Quare non video, cur Meister scripserit X 1,18 *placeant et . . . laudentur* ac non steterit Halmii coniectura: *placent et . . . laudantur*, quippe cum etiam cod. G habeat placent et modo laudetur mutandum sit in laudantur. Peterson ad h. l. recte hanc lectionem resumpsisse et adiecisse bene

---

[1]) Quid Marty l. l. p. 32 accipi velit, non intellego.

mihi videtur emphasin efficacius apparere, si opponantur indicativi placent et non placent.

Quando temporali sensu perraro legitur apud Quintilianum: X 7,25 quae (exercitatio congitandi) nullo non et tempore et loco, *quando* non aliud *agimus*, explicari potest; cf. VII 2,55 et VIII 2,24 (Spald.). Apud Sall. Caes. Liv. Tac. Plin. min. plane deesse Draeger affirmat. Cf. Wichert, Lat. Stillehre p. 350.

Quotiens. Hanc coniunctionem nondum Cic. Caes. Sall. usurpant, sed Plin. NH., tum Tac., Plin. min. imprimisque Suet. Quod Draeger, Hist. Synt. II p. 584 de ea coniunctione affirmat: Überall mit dem Konj. eines *Imp.* oder *Plusquamp.* apud Quintilianum quoque comprobatum videmus his locis: Bonn. lex. s. v. citat II 4,13 (coni. impf.) et VI 1,40 (coni. plusqu.). Praeterea imprimis notandus est I 7,20, ubi addita voce *fere* designatur iteratio. — Coniunctivus *praes.* I 7,10: 'quidam eam (k litteram), quotiens a sequatur, necessariam credunt' nihil alieni habet, quia incidit in orat. obliquam; item II 4,27; IX 4,38. — Ceteris locis *indicativus* variorum temporum est positus, quod illustrabo eis exemplis, quae non afferuntur a Bonnellio: I 6,29 (praes.). — I 11,8 (fut.) — XI 1,120 (perf.) cf. XII 10,33; IV 1,76 (fut. ex.) exstat: *quotiens — tum*, id quod apud neminem alium scriptorem invenimus. V. Wichert l. l. p. 350.

Postquam (semper) cum indicativo coniunctum est exceptis iis locis, ubi orat. obliqua occurrit, ut VI 3,103; 3,51 (ex. Cic.). Indicativus: 1. perf. ut apud alios scriptores saepissime. — 2. praesentis XII prooem. 3 (nos vertimus „seitdem") ad significandam actionem in praesenti durantem. — 3. occurrit autem etiam ind. impf. I 6,16 'postquam loquebantur'. Hic enim de re continuata, quae spectat ad actionem praeteritam 'inventa est' et idem valet quod 'postquam loqui coeperunt et cum loquerentur'; nondum enim desierant loqui, cum inveniretur analogia. Cf. Schmalz, L. Synt.[4] p. 550. Notandum ad extremum videtur *postea quam* cum indic. perf. bis: IV 2,26 et XII 10,13.

Ut primum coniungitur cum indic. perf. I prooem 13 et XI 1,80. — *Ubi primum* cum indic. plusqu. VII 1,6, ubi agitur de *iteratione.*

Protinus ut I 1,3 cum fut. ex. = simulatque.[1])

Simul coniunctionem temporalem apud Quintilianum non inveni.

Dum: 1. cum indic. praes. semper ponitur eodem significatu atque *quo tempore*, ut apud Ciceronem et optimum quemquem scriptorem cf. IV 2,111; VIII prooem. 29, dum discimus, non dum dicimus. X 5,14 et passim. Haud raro autem huic coniunctioni etiam causalem quandam vim subiectam legimus ut apud Plaut. Ter. Cic. alios. Cf. Schmalz, L. Synt. p. 558, Draeger, Synt. d. Tac. p. 68, qui confert Cic. off. II 8,29. In Inst. orat. legimus; II 4,10 dum omnia timent, nihil conantur; VIII prooem. 24 nihil iam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset, X 1,125 et saepius.[2]) — 2. Indi-

---

[1]) Cf. Statim atque, statim quam. V. Schmalz L. Synt.[4] p. 552 et 572. Kalb, Roms Jur., p. 27.

[2]) Haec affinitas coniunctionum causalium et temporalium etiam apud

cativum praes. et perf. et fut. usurpat Quint., ubi dum significat *quamdiu*: VI 3,51 (perf.); I 11,14 (fut.); XI 3,110. Coniunctivum non invenias nisi in oratione obliqua, ut VI 3,51.

Eadem significatione adhibetur *quoad*, cf. Bonn. lex. I 6,20; X 3,31; XI 3,8 quoad vixit (cf. VI 3,51 dum vixit).

Donec occurrit paucis admodum locis significans *usque dum* cum coniunctivo praes.: I 1,33 donec contingat; X 7,10 d. perveniamus ad finem; imperf.: XI 3,6 d. quaerere desineret. Notandum est XI 3,53 nec eo usque trahatur, donec deficiat. Apud Caesarem et Sallustium donec plane deest, quater invenitur apud Ciceronem. V. Schmalz, l. l. p. 568. Apud Tac. Draeger 138 locos notavit.

Antequam et *priusquam*. Hae particulae apud Quintilianum eandem sequuntur regulam et usurpantur ab eo aliis locis cum praes. indic., aliis cum praes. coni. coniunctae et, ut videtur, sine discrimine modorum. Nam quod Törnebladh l. l. p. 35 dicit 'videri usu coniunctivi exprimi aut consecutionem aut consilium' subtiliter quidem excogitatum est, sed in singulis probari non potest, minime vero de Quintilianeo usu; cf. IV 3,1 'priusquam ingrediar hanc partem' aut X 1,42 'antequam de singulis loquar' cum II 10,1 'antequam viam ingredior'. Et V 8,4, quod exemplum ille ad illustrandam rem adhibuit, rectius, ut mihi quidem videtur, nunc legitur *partior*, non *partimur*. Cum coniunctione *antequam* occurrunt et praes. et perf. indicativi, ut II 10,1; IX 1,22; X 3,72. — X 1,74; X 7,11 ante sequentia vident quam priora dixerunt. — Coniunctivum legimus praes., ut I 2,8; 12,19; XII 11,4; II 1,3; imperf. secundum consecutionem temp. V 10,20; II 17,9; 20,6.

Priusquam non solum coniungitur cum indic. praes., ut III 6,1 et perf., ut I 12,8, sed etiam *futuri*: IV 3,6 pr. probabitur. — Coniunct. invenitur et praes., ut IX 3,55 (cf. IV 1,3 pr. cognoverit) et imperf., ut XI 3,158.

Ut cum v. enunt. comparativa!

§ 3.

Enuntiata modalia.

In perfectis comparationibus quae praecipue adhibentur particulae hae sunt: Ut — ita: III 9,6; VII 2,40. — Ut — sic III 7,4; — sicut — ita III 2,3; 6,92; VIII prooem. 29; — sic — quomodo IX 4,138; VIII prooem. 33; X 3,25; XI 3,109; — quemadmodum — sic III 6,33; V 10,125; IX 2,46; — quemadmodum — ita II 5,1; VII 1,25 (ita *et*); 3,1. — Proinde — ut V 13,58; VII 2,32. — In periodo longiore V 10,124—125 variantur particulae: ut — ita; quemadmodum — sic; ut — sic.

Adhibentur a Quintiliano hae particulae saepissime eodem sensu

---

nostrates reperitur; cf. Schiller, Tell primi actus scaena sec. sub finem: „Leb wohl — und *weil* (= dieweil,während) ich fern bin, führe du mit klugem Sinn das Regiment des Hauses". (Stauffacher). — Cf. etiam *ὄφρα* Hom. Od. IX 56. — Kiessling ad Hor. carm. I 6,9.

atque quidem — sed (zwar aber)[1]: ut — ita: III 1,2; 2,2; 4,13; V 1,2; VII 1,64; X 1,15; XI 1,75. Interdum haec vis concessiva exprimitur potius vocabulo tamen adiecto, ut IX 2,88. Similiter quomodo — ita IX 1,3; quemadmodum — sic X 5,17; ut — sic IX 4,67.

Particulae *tam* — *quam* aliquot locis ita usurpantur, ut idem significare velint atque *et* — *et*, cf. I 7,16 quia tam longae quam brevis naturam habet. I 9,15. Sed si intuebimur exempla, evidenter cerni potest membrum prius, quod per partic. tam introducitur, plus gravitatis habere, proinde ac per cum — tum secundum membrum magis eminet et plus habet ponderis. Germanice vertimus tam — quam = ebensogut — wie. I 7,28 tam Gaias esse vocita*tas* quam Gaios; II 2,11 (intueri) tam qui audiunt debent quam qui ipse dicit. Affirmare vult Quint. omnes discipulos, non solus qui forte dicit, intuendo magistri vultu discernere probanda atque improbanda discere. — Sic intellegitur etiam, cur VIII 3,15 'orationis tam ornatus quam perspicuitas aut in singulis verbis est aut in pluribus positus' usurpetur gen. masc. praedicati, non gen. substantivi proximi aut gen. neutr. plur. numeri. — Adhibet autem Quint. tam — quam etiam si duo comparationis membra imparia sunt, ut II 5,17 utinam tam non pigeat facere istud quam non displicebit; cf. X 2,15 utinam tam bona imitantes dicerent melius quam mala peius dicunt.

Brevia comparationis enuntiata, quae interponuntur per coniunctionem *ut* cum verbo aliquo sentiendi vel declarandi apud Quintilianum saepissime leguntur, etiam tum si exspectaretur accusativus et infinitivus: cf. II 13,1 ut quibusdam placuit; V 13,59 ut Theodoro placet; ibid. ut praecipit Apollodorus; XII 5,6 ut moris est; ibid. 2,12 ut traditum est; XI 3,50 ut aiunt; VI 3,8 ut Cicero dicit; IX 3,83 sicut Cicero dicit; XI 3,128 ut ait Cicero, alibi. Bonn. lex. s. v. At postponitur *ait* his locis: I 5,72 ut Cicero ait cf. X 7,14; XII 3,11; 11,26; ut Demosthenes ait XI 1,22; cf. XII 9,16; XI 3,80: ut Horatius ait; XII 10,75 ut Ovidius ait; IX 1,36 ut ipse ait. Cf. Schmalz, Antib.[7] I 134 s. v. ait. (Ibi XII 10,56 perperam laudatur, comparantur autem exempla ex Varrone r. r., Liv., Plin. ep. Tac. dial). V 12,14 ut ego censeo: II 17,35 ut arbitror; cf. V 10,10; II 17,14 ut solet[2]) aliaque plurima.

Imperfectae comparationes introducuntur per particulas *velut* et *quasi*, sed ita, ut prior illa (velut) multo crebrius inveniatur, et pro illa Ciceroniana locutione *quasi quidam* Quint. *velut quidam* ponere praefert; sed quasi quidam nonnullis locis reperitur, ut II 13,1; V 13,60; VIII prooem. 2; 6,69; XI 3;44; XII 1,14. V. Bonn. lex. s. v. quasi.

In *fictis* comparationibus variae adhibentur particulae et adverbium demonstrativum modo antecedit, modo deest; cf. sic — tamquam II 1,12; 3,10; ita — tamquam II 17,39; V 13,51; VII 4,42; III 8,70; IX 1,12 et saepius; sic — quasi IV 1,3; tale est quasi VI 1,36 (*quasi si*). Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 594: *quasi si* „bei Plaut., Lucr. und später wieder bei

---

[1]) Cf. Schmalz, Lat. Syntax,[4] p. 570.

[2]) De ellipsi verbi *faciendi* in hac locutione cf. Anton, Studien z. lat. Gramm. u. Stil. II p. 91 sqq.

Florus". — *Tamquam*[1]) sine adverbio demonstrativo frequens occurrit, ut IV 3,3; VII 1,26; 2,32; VIII prooem 21; 3,26; 6,32; XII 8,9. — *quasi* solum positum est VIII 2,21; XI 3,121; 172; 130. — *velut si* II 13,1. — Etiam *velut*[2]) solum pro *velut si* invenitur, ut IV 3,13; VIII 2,19; XI 2,44 — *veluti* XII 3,12. — Memorabile etiam videtur *quasi vero* ironiam indicare solere ut I 6,34; VIII prooem. 26; 5,24; IX 4,114; V 10,84. — *Proinde ac si* non significat ironiam, ut V 10,112; VII 1,60 (bis); 8,2. — In omnibus eiusmodi enuntiatis positus est coniunctivus, quia sensus irrealis vel fictus subest. — Nusquam autem legitur *tamquam si*,[3]) *sicut*, nusquam — hoc quidem significatu — *ut si*, quae coniunctio saepius apud Cic. et Liv., non apud Caes. et Sall. occurrit. *Ut si* apud Quintilianum aliud significat = „(gerade so) wie wenn", „wie es ist, wenn" et usurpatur proinde atque *ut cum* in introducendis exemplis nisi quod *ut si* semper coniunctum est cum *coniunctivo*, *ut cum* hoc sensu cum *indicativo*. *Ut cum* sane etiam cum *coniunctivo* invenitur, sed alia significatione (cf. enuntiata *causalia*!). Saepissime sic occurrit *ut si*[4]): III 10,1; 11,6; IV 2,27; V 10,48; 52; VI 1,4; VII 2,29; XII 7,2. v. Bonn. lex. s. v. ut. Prope toties reperitur *ut cum*: III 7,12; IV 2,13; V 10,47; VI 1,51; VII 3,26; IX 3,63. Notabilis ille locis, ubi *ut si* et *ut cum* promiscue usurpantur, unde apparet nihil fere interesse inter has particulas: VII 4,14 ea (excusatio) est aut ignorantia ut siquis fugitivo stigmata scripserit eoque . . . neget — aut necessitatis ut cum miles . . . non adfuit et dicit; cf. etiam VII 3,4 *ut si quaeratur* et VII 3,26 *ut cum quaeritur*. Sine dubio igitur VII 2,13 *ut* (*at* codd.) cum quaerimus legendum est. Uno loco invenimus *ut si* sequente indicativo V 10,34 ut siquis . . . *dicitur* interemisse. Quod autem consuetudo Quintiliani coniunctivum postulare videtur, equidem potius velim scribere *dicatur* cf. VII 2,29 ut si . . . *dicatur*. — Coniunctivus positus est, quia per particulam *ut si* casus fingitur, ut sensus potentialis[5]) subsit, per *ut cum* res vera (cf. III 8,33 ut cum Pompeius deliberabat) introducitur aut tamquam vera ponitur.[6])

Fictae comparationes etiam participio cum una particula earum, quas supra diximus, significantur ut XII 3,12 tamquam eligentes; IX 2,86 sic timent tamquam ipsi morituri. —

Iam sequitur, ut disseramus de coniunctionis *quam* usu, qui apud Quintilianum latius patet quam apud optimos scriptores; non solum

---

[1]) Tamquam sensu causali v. p. 76 sq.

[2]) Cf Draeger, Synt. d. Tac. p. 70: velut = velut si hist. III 83, findet sich schon oft bei Liv., dann Curt. VIII 1,31. Cf. etiam Schmalz, Lat Synt.[4] p. 594.

[3]) Cf. Schmalz, Antib.[7] II p. 643 s. v. tamquam. Ad hunc locum v. Stegmann Z. f. G. W. 1908 p. 538, qui dicit se apud Ciceronem *tamquam si* decies fere, *tamquam* solum tricies fere notavisse, velut off. I 134.

[4]) De usu huius coniunctionis apud Ciceronem et Livium cf. Anton, Studien III p. 67 sq.

[5]) At VII 4,13 ut si — *diceret*, quod sensus inest irrealis.

[6]) Ut solum legitur VII 1,23 ut deliberat Numa; cf. III 8,19 deliberat C. Caesar (ut supplendum ex antecedente *ut deliberant patres* etc.); VII 2,18 *ut* hominem occisum esse manif. sit (= *ut* ‹*si*› ?).

enim post adiectivum comparatum reperitur, sed omnino post ea adiectiva, quibus aequitas quaedam notatur vel contra. Cf. *alius quam* I 5,10; passim. V. Bonn. lex. s. v. alius; frequenter occurrit *non aliter*[1]) *quam* ut I prooem. 5; 5,37; III 8,70; IV 5,5; 5,22. — non *alio quam* I 5,16; 6,22. *alibi quam* IX 2,14; 4,106; XI 1,47; *nihil aliud quam* III 8,34 et passim. Cic. dicit *nihil aliud nisi*. Cf. Schmalz, Antib. s. v. alius. Seyffert-Müller ad Lael. p. 128. — *Aeque* quam IX 4,85; *contrarius* quam IX 2,50;[1]) *diversus* quam I 4,29;[2]) *duplex* quam II 3,3.[1]) — *Supra* quam, quod apud Ciceronem bis occurrit (or. 139; nat. deor. II 136) et Sall. Cat. 5,3; Iug. 24,5, etiam apud Quintilianum semel legitur: X 1,101: supra quam enarrari potest. Apud alios frequentius est *ultra quam*, quod in Instit. or. plus semel usurpatur, ut in oratione obliqua: II 4,7 u. quam oporteat fusum. — VIII 2,17 et ultra quam ullus spiritus durare possit, extendit i. e. *ultra quam ut*, ideoque coniunctivus est positus vi consecutiva subiecta. Ceteris locis adhibetur indicativus: II 5,24; VI prooem. 10; XII 7,12.

In eiusmodi enuntiatis comparativis Quintilianum summa cum libertate et licentia usum esse etiam id documento est, quod IV 2,66 ponit: 'nihil est *facilius nisi* prorsus totam causam omnino non agere', ubi *quam* pro nisi exspectamus. Ne illud quidem praetereundum est particulam quam etiam post praepos. *intra* inveniri: I 1,29 intra biennium quam verba recte formare potuerunt. Cf. Liv. XXXVI 10,1; XLIII 9,2; Col. XII 23,1; Sen. (rhet.) Suet. Caes. 35.

Proportionis enuntiata variis formis induuntur: *ut quisque* II 5,20; 12,11; IX 1,66; 2,27; VII 2,32 ut cuique ingenii vis est; V 10,53 ut in quosque incurrent. — Cum demonstrativo *ita*: I 10,40 ut quaeque forma perfectissima ita capacissima est; cf. VIII 6,62; IX 4,25. *Quo-hoc* sequente comparativo satis frequenter adhibetur, ut II 2,5; 3,8; IV 2,125; V 14,35; IX 4,83; XI 3,42. — *eo-quo*: II 12,8.

Saepe autem demonstrativum deest aut respondet adv. *adhuc, etiam*: cf. II 3,9 erit ergo etiam obscurior, quo quisque deterior; VIII 5,20 peius adh., quo magis falsum est. — Nudus comparativus sequitur: VIII 3,16 quo plus quodque spiritus habet, auditu pulchrius; IX 4,143 quo est dulcius, magis perdit . . . fidem;[3]) X 1,77 plenior et magis fusus . ., quo minus strictus; XII 9,20 tutius stilo, quo facilius e. q. s. XII 10,36 quo minus adiuvat sermo, rerum inventione pugnandum est (sc. eo magis).[4]) Cum quibus locis si comparabimus III 7,13, iure Radermacher neglecta cod. P. lectione *eo* ante maiorum omisisse videtur, ut legatur sic: 'quo minores opes fuerunt, maiorem benefactis gloriam parit'. Aliter res se habet I 1,5: haec ipsa magis pertinaciter haerent, quae (alii *quo*) deteriora sunt; nam pron. rel. *quae* desideratur vocabulis *haec ipsa*. — *Quanto-tanto* eodem sensu VI 1,26; tanto-quanto XI 1,75; quantum-tantum se-

---

[1]) Cf. Schmalz, Lat. Syntax,[4] p. 548 § 309. — Aliter quam saepius legitur, ut I 7,28; v. Bonn. lex. s. v.

[2]) Schmalz, L. Synt.[4] p. 548 hunc usum Quintiliani omisit.

[3]) Cf. Vell. II 43,4 quo notiora sunt, minus egent stilo.

[4]) Cf. Tac. ann. I 2 et Nipperday ad ann. I 68 (quanto-tanto). — Cic. p. Quint. 4.

quente genetivo IV prooem. 5: qu. nobis exspectationis adiecit, t. ingenii adspirat; X 1,94; XII 2,30. quanto-tantum I 10,14; *proinde-ut* V 13,58; VII 2,32; proinde atque V 9,11; proinde-prout IX 4,34; 4,69; *ita-prout* V 11,16; 12,14; alius atque alius-prout I 7,2; prout sine demonstrativo frequentius occurrit, ut IV 1,17; V 12,14; VII 2,57; XI 3,16, 46.

§ 4.

Enuntiata consecutiva.

In enuntiatis consecutivis cum Quint. in vulgato usu dicendi fere versetur, non habemus quod exempla multa afferamus. Plerumque antecedit particula quaedam, ut *tam*, *tantus*; eo usque procedere ut IX 3,12; usque adeo ut II 2,12; huc usque procedit ut V 13,22; tanto est iucundior ut XII 10,33. Memorabile videtur illa locutio 'rarum est ut' (= raro fit ut; cf. Plaut. mirum quin.): III 10,3; VI 3,38; X 7,24, quae tantum apud posteriores legitur (Spart. Vopisc.). *Ut restrictivum*, quod vocatur, etiam apud Quintilianum reperitur (Tac. semel usurpat ann. III 34 cf. Dräger l. l. p. 74)[1]): I 3,1 sic tamen ut; VII 4,30; IV 2,54 verum sic ut; VI 1,34 verum sic ne = ut non; cf. XI 3,159 genua recta *sic tamen, ut non* extendantur. — Suet. adhibet *ut tamen*. Cf. etiam Vell. II 93,1 *ita* .., *ut tamen*; at II 105,2 *ita tamen ut*.

Quin apud Quintilianum non saepe legitur, audacissime apud Tacitum. Post verbum dubitandi sensu negativo nonnumquam quin invenitur, plerumque sane infinitivus cf. III 2,1; XI 2,9. — IX 8,82 nemo se tenuit quin (etiam Cic.). Audacius autem videtur XII 7,8 quis ignorat quin id longe sit honestissimum (= quis dubitat), cf. Cic. p. Flacc. 27. — IV 4,4: 'quin ascenderis murum non quaeritur' i. q. extra dubium est. Praeterea *quin* saepe legitur pro immo, ut V 13,55; quin immo I 1,31; II 5,16 etc. v. Bonn. lex. s. v.

§ 5.

Enuntiata causalia.[2])

In enuntiatis causalibus Quint. usu variarum particularum etiam ultra modum optimis auctoribus usitatum progreditur.

Cum indicativo iunguntur particulae sequentes: 1. *quod* et *quia*, quae coniunctiones saepe promiscue usurpantur (Günther p. 6), cf. V 10,56; I 7,34. Haud scio an apud neminem scriptorem quia et quod spectent ad tam multa demonstrativa praecedentia. Quia refertur ad haec correlativa: eo V 12,17; hoc X 1,15; ideo I 7,35 et saepissime; idcirco II 2,2; propterea VII 2,15; propter id ipsum III 8,23. Eadem fere correlativa antecedunt particulam quod, praeterea: eo magis II 16,18; eo minus

---

[1]) At cf. R. Methner, Neue Jahrbücher f. d. kl. A. 1909 II 192 (adn. 1). Ibi laudatur etiam Tac. Germ. 11.

[2]) Cf. E. Günther, De coniunctionum causalium apud Quintilianum usu. Halis Saxonum 1881.

I 1,19; hoc magis VI 2,36; hoc ipso I 2,26; non alio I 5,16; 6,22 et frequenter (Günther p. 35).

Post has duas coniunctiones Quint. etiam in oratione obliqua nonnumquam ponit indicativum, ubi res verae et omnibus satis cognitae continentur; quia: V 10,30; IX 1,2; XII 10,25; iis locis *quia* = *nam* esse Günther demonstrat; quod: III 6,42; X 1,80; XI 2,11.

Quoniam et vere causali significatu et in transitu ad novam partem usurpatur. Günther enumerat 42 locos, ubi indicat. est positus, 4 cum coniunct.: I 6,13; III 3,4; 8,63; V 10,62 in orat. obliqua. Etiam quoniam bis cum indicat. in oratione obliqua invenitur: III 6,51; XI 2,9.

Quando[1]) vi et causali et explicativa. Semper adhibetur indicat. ut apud Ciceronem et Tacitum. Quod Günther IX 4,7 valeat et comitetur vult mutari in valet et comitatur, quia ʻnullo modo explicari vel excusari possint coniunctiviʼ, non recte iudicare videtur. Nam sicut coniunctio cum simul causalem et adversativam vel concessivam habet vim, ita isto loco quando vertendum videtur „während doch", „wenn doch". — Cf. Heraeus ad Tac. hist. I 87: ʻquando = quoniam Sall. Liv. Verg.ʼ

Quatenus[2]) Quint. eodem fere sensu atque quoniam quinquies usurpat: a) vi causali VI 2,12; II 4,13; VIII 3,45; b) in transitu IV 2,66; IX 2,81. Lucr. Hor. Ov. Val. Max. Plin. ep. Tac. alii.

Siquidem[3]) novies decies (Günther) occurrit, semper cum indicativo: I 1,9; V 11,19 (Günther habet V 11,9); VI 1,55. Huius particulae vim maxime cognoscemus, si comparabimus illam coniunctionem si tamen (v. condic. en.), quae ut explicanda est tamen si = (jedoch nur) dann, wenn, ita siquidem nihil aliud est nisi (et) quidem si = und zwar dann, wenn, insofern als. Proprie igitur vis non tam causalis inest quam explicativa; nam si eodem modo atque cum ad explicandum adhiberi potest; sensus autem explic. confinis est causali. Cf. V 10,82 nec quia fortitudo praestat, ne mortem timeamus... nec si capitis dolorem facit, inutilis hominibus sol est. Siquidem iam apud Plautum et Terentium saepe apud Ciceronem legitur, semel Caes. BG. VI 36,2, Val. Max. Sen. phil. Plin. min. Tac.

Quippe apud Quintilianum ter legitur et cum indicativo: I 1,1; 11,5; XI 3,66; *quippe qui* cum coniunctivo semel invenitur III 1,2: Etiam Tac. semel tantum usurpat quippe qui Agr. 18. — *quippe cum* item semel exstat X 1,38.

Ut qui saepius reperitur (Günther undecies!), semperque cum coniunctivo: I 2,19; X 1,57; 1,74; XI 3,53; ut qui (pluraliter) V 14,28; ut quae (sing.) III 5,9; XII 2,20; ut quod VIII 3,12; 4,16; ut quorum X 2,13; ut in qua X 1,55.[4]) Ut qui Tac. Germ. 22 cum indicativo coniungitur, ceteris locis cum coniunctivo ut iam apud Ciceronem.

---

[1]) Quandoquidem deest apud Quintilianum.

[2]) Cf. Schmalz, L. Synt.[4] p. 580. — Arch. lex. V p. 339 sqq.

[3]) Schmalz l. l. p. 593[4]. — Cf. εἴπερ, ut Xen. Anab. VI 1,26: εἴπερ ἄνθρωπός εἰμι (insofern eben).

[4]) Peterson in editione libri X hoc loco falso laudat Törnebladh pro Günthero (de causa conj. usu).

Cum.[1]) De huius coniunctionis usu in universum dicendum est Quintilianum duobus locis indicativum posuisse: I 6,2;[2]) X 3,26. Ceteri loci, qui antea afferebantur, nunc recte mutati sunt. Explicatur hic usus ita ut statuamus vim causalem cum explicativa mixtam esse sicut de Sall. L. Constans (l. l. p. 199) demonstravit vim causalem admixtam esse temporali. Nam vix credibile est Quintilianum antiquorum morem, qui sane posuerunt indicativum, secutum esse, quippe qui ceteris locis adhibeat coniunctivum ut scriptores aureae et argenteae aetatis. Becher (cf. etiam Krügeri edit.) ad X 3,26 *cum* proprie temporali sensu positum esse haud scio an recte putet. Ubi autem vis vere causalis inest, et quidem saepissime, coniunct. legitur: cf. III 6,1; II 3,2; V 6,3; 10,10 'nec mirum, cum id inter opifices quoque vulgatum sit'.

Cum praesertim permultis locis reperitur semperque cum coniunctivo ut I 2,11; 11,17; 12,4; Quint. praeponere solet *cum* sequente *praesertim* excepto V 10,103 (et VII 9,12 loc. Cicer.). De hac positione cf. Schmalz, Antib.[7] II 364, qui multos locos affert ex Cic. Sall. Cat. 51,19, Jug. 2,4; 3,2; Liv. III 52,9. Adde Corn. Nep. Milt. 8,2. — Praesertim etiam verbo omisso vel cum participio coniunctum reperitur: II 6,3 in his praesertim moribus; II 1,2 praes. tantum . . . provecta; VI 4,16 culpam praes. deprehensam; XII 8,8 praes. hominem imperitum; III 1,3 aures praes. tam delicatas. — *Praecipue cum*[3]) idem significans ac *praesertim cum* legitur XI 3,177 cum praec. in actione spectetur decorum; praecipue pro praesertim X 1,89 praec. in aetate illa.

Ut cum vi causali, quod apud neminem scriptorem invenias, adhibetur his locis: V 10,44; VI 1,51; 3,9; IX 1,15; X 1,76. Cavendum est, ne haec coniunctio causalis *ut cum*, cui semper subiectus est coniunctivus, confundatur cum illa, quae introducit comparationem et semper cum indicat. est posita (v. en. compar.).

Maxime autem memorabile videtur etiam Quintilianum particulam *tamquam* usurpare vi causali cum coniunctivo. Hic usus primum invenitur apud Livium (cf. Weissenborn ad XXXVII 1,4), tum apud Celsum, Plinium min. imprimisque Tacitum (cf. Nipperdey ad ann. III 72; Heraeus ad hist. I 87) et Suetonium. Optime apud Quintilianum hic usus ex eo cognoscitur, quod tamquam adhibetur post ea verba, quae desiderant q u o d vel aliam causalem coniunctionem: cf. IX 4,53 'reprehenditur (Cic.) a quibusdam, tamqu. orationem ad rhythmos adliget', ubi non agitur comparatio, sed indicatur causa, cur reprehendendus quibusdam videatur; cf. XII 10,9 t. nimius in ea reprehenditur; III 6,60 culpari t. falsa praecipiat non potest; VII 1,60 quae res advocati quoque poenam,

---

[1]) Sequentes coniunctiones a Günthero, nescio quare, omnino non tractantur.

[2]) Radermacher scribit *coniunctivum:* cum . . honestus *sit* (?). At cf. Cat. carm. 80,4 et 68,32 cum *nequeo.* Ad h. l. G. Friedrich in editione sua (Leipzig 1908) p. 449: Dieses kausale cum findet sich bei Plaut. und Terenz oft mit *Indikativ;* praeterea confert Lucr. II 1067, Cic. Fam. XI 16,2.

[3]) Indicat. exstat sensu *tempor.* IX 2,85; VI 1,38. Cf. etiam Schmalz, Antib. s. v. praecipue.

t. is non affuisset, remiserit; VII 4,42 t. causa mortis capite puniri. Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 549.

Est quod, non, nihil est quod in Inst. orat. nusquam invenitur. Draeger, Synt. d. Tac. p. 67. easdem formulas Tacitum habere negat. — *Est quod* apud Quintilianum reperitur, sed alio sensu atque apud Ciceronem; cf. XI 1,36 est quod principes deceat = est quiddam, quod deceat; item VI 3,111; IV 1,44. — VIII 5,23 ex declamatione aliqua legitur: habes quod . . . irascaris. Ceteris locis alius est sensus: VII 1,45 sed ne disertum quidem habere, quod imputet reo; cf. IX 2,1. — Omnino autem non repudiatur talis constructio, sed vis causalis manifesta fit: VIII 6,66 *est propter quod* dici tropus possit. Cf. X 3,29 semper erit, propter quod nobis ignoscamus. — *Praeterquam quod* item deest apud Quintilianum, qui tamen habet, quod apud alios scriptores frustra quaeras: *praeter id quod* III 8,40; V 10,45; X 1,28; 3,6; 2,26; pr. id quod-tum = cum-tum. Sequitur ergo hic membrum alterum idque gravius. Hoc maius si antecedit sic, ut leviore argumento sententia finiatur, usurpat Quint. *cum eo quod* eodem fere sensu atque *adiciendum quod*: II 4,30; XII 10,47. Et si opponitur clausula prioribus membris, *cum eo quod* restrictivam quandam accipit significationem = nisi quod cf. X 7,13. Similiter Cic. Att. VI 1,7 sed tamen cum eo quod; Liv. VIII 14; XXXVI 5; Cels. VII 27; II 17 cum eo tamen ne; VII 22; Col. V 1,4. Cf. Naeg.-Müller[9], Stil. § 37 c p. 176.

At particula *praeterquam* reperitur IV 2,64 et V 10,105. — De usu coniunctionis *dum* vi causali v. enunt. temp.

§ 6.
Enuntiata finalia.

In finalibus enuntiatis Quint. non multum recedit ab usu veterum. Servare ut = observare (achtgeben, daß) occurrit XI 1,62; cf. I 5,20; (ne) XI 2,47. Cf. Schmalz, Antib. s. v. servare.

Quo minus, quae coniunctio sermonis cotidiani *non* propria fuisse videtur (cf. Schmalz, Syntax[4] p. 597 sq.), apud Quintilianum paucis tantum locis adhibetur: V 7,2 neque protinus cesserit (concesserit) orator, quominus . . .; V 11,32 nihil obstat quom., VIII 3,50 sermoni deest aliquid quom.; XII 1,16 neque spe neque metu declinatus animus quom.; XII 7,6 neque pudor obstet quom. Tamen XI 1,48 'virtutes quom. deceant effici' vis subest negativa [1]) (= daß sie weniger am Platze sind).

Demonstrativum praegreditur finalem coniunctionem II 10,15 eo spectare ut; VII 3,28 id agere ut; III 11,21 in hoc assumpta solum, ne; VIII prooem. 27 idcirco ut; cf. V 10,105; VI 2,3 hactenus utiles ne; II 15,7 motus in hoc ut; II 17,6 non ideo ut. —

Ut ne = ne VI 3,64; XI 3,131. — Nedum apud veteres usurpatur post negationem in antecedente enuntiato positam; post affirma-

[1]) Cf. Cic. Ad Att. VII 15,3.

tivum enuntiatum, ut iam apud Sallustium occurrit, legimus in Inst. orat. XI 3,3; XII 1,39. Cf. Schmalz, Syntax[4] p. 559 adnot. 1.

Neu (= et ne) legimus semel V 13,42. Ceteris locis repetitur per anaphoram ne, cf. XI 1,83; VI 3,33; XII 10,47; I 3,13; IV 5,27. Ne aut — aut: XI 1,67; 3,107; XII 11,9.

§ 7.
Enuntiata condicionalia.

Indicativi exempla in enuntiatis condicionalibus, ubi res vera agitur, afferre supervacuum est. Ubi vis potentialis inest, adhibetur coniunctivus praesentis sive potius apud Quintilianum quidem perfecti aut in apodosi et simul in enuntiato condicionali aut in uno solo enuntiato cf. I 4,4 si ignoret, intellegat; II 17,28 si dentur, valeat; IV prooem. 2 intellegam, nisi metiar; V 10,123 faciat, si sit. Indicativi exempla v. supra de modis. — Usurpatur etiam indicativus saepe in apodosi adiecta protasi per coniunctivum *imperfecti* et quidem indic. imperfecti frequentissimus est. V. Bonn. lex. s. v. si. — Blase, Hist. Gramm. III p. 150. Cf. etiam: IV 1,11 stultum erat, nisi fieret; XI 2,33 erat optimum, si non subirent; IV 1,20 vitii nihil erat, nisi praeciperet.[1])

Reperitur etiam pro coniunctivo plusquamperfecti eiusdem temporis indic. bis tantum: VIII 4,4 si verberatus esset, increverat; VI 2,25 quodsi sufficeret, satisfeceram. Cf. H. Blase, Gesch. d. Plusquamp. im Lat. p. 66 sqq. Ibi p. 67 laudatur Quint. VI 2,25; adde VIII 4,4.

Praecedit in apodosi saepius *ita demum,* ut XI 3,130; IX 2,30; II 7,1; IV 3,14; I 5,48; aut solum *ita,* ut IV 3,6; X 7,12.[2]) Respondet etiam *tum* particula praecedente coniunctione si X 2,28.

Variae formae condicionalium enuntiatorum:

Restrictiva significatione adhibetur satis frequenter *si modo,* cui semper indicat. est subiectus praeter VI 2,3 'cetera forsitan tenuis quoque et angusta ingenii vena, si modo . . . sit adiuta, generare queat'. Hic modus accommodatus est ad modum enuntiati primarii, quod vim habet potentialem. Exemplis a Bonn. collatis adde IV 5,13 si modo indubitabile est; VI prooem. 16 si modo . . . scribimus.

Si tamen. Restrictivum quendam sensum habet *si tamen,* quod traiectione quadam dicitur pro (*ita*) *tamen si.*[3]) Similem traiectionem

---

[1]) Cf. X 2,4 quid futurum erat, nisi putassent; 2,7 quid erat futurum, si nemo effecisset.

[2]) Ad h. l. Peterson confert Cic. Brut. 195: cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset. Brut. 222 *cum* sic adhiberi commemorat. Poterat huic comparare Quint. IV 5,27 sic fere, *cum* partimur.

[3]) Cf. J. H. Schmalz in Glotta, Zeitschrift f. gr. u. lat. Spr. I p. 333 sqq. Laudantur p. 336 Phaedr. II 4,5; Plin. ep. III 1,4; Apul. Met. VIII 23; VI 6. — p. 337 „Aufgekommen scheint es in den letzten Jahren Ciceros zu sein"; paulo infra: „tamen bei Gregor von Tours vollständig = autem". Iam apud Quint. significationem similiter attenuatam esse cognoscemus, si comparabimus hos locos. Exstat in transitu eodem sensu: XII 7,5 quoniam *tamen*; II 10,12 quon. *autem*; V 13,23 quon. *vero*. Cf. etiam Schmalz, L. Syntax[4] p. 592 sq.

vidimus supra de enuntiatis consecutivis (p. 74). Quint. enim *sic tamen ut*, Suet. *ut tamen* usurpat sensu restrictivo. Usus modorum sicut post si varius est. Sequitur indic. praes. II 15,4; IX 2,55; fut. I 2,27; coniunct. praes. II 13,16; VI 3,19; 57; perf. I 8,6; plusqu. X 1,89 (sensus est irrealis).

Non restrictive legitur si tamen = si vero cum fut. ex. II 17,25; ibid. 24; IV 2,51; VII 2,15; fut. I 1,11; coni. praes. V 10,124; cf. si vero: III 8,38; II 8,12; 16,11; XI 2,48; XII 10,76.

Si maxime idem fere est quod quamvis I 12,1. Cf. Schmalz, L. Synt.[4] p. 592.

Si iam occurrit II 10,6 ut apud Ciceronem. Cf. etiam Schmalz, Antib.[7] I p. 670 ad extremum!

Si quidem: v. enunt. causalia!

Sin adversativa particula legitur praecedente si II 19,2; 21,1; sin autem II 21,22; sin aliter VIII 6,74. Cf. II 17,29; VIII prooem. 30. — Si minus legitur omisso verbo I 8,6; VII 2,36; XII 9,8. — Pro *sin* vel *sin autem* apud Quintilianum frequentissime occurrit *at si*, cf. II 19,3; IV 5,5; 8; 13; 14; passim, quod apud Ciceronem quoque reperitur, sed raro. — Quint. habet etiam *si vero non* II 17,11.

Nisi et *si non* plerumque promiscue inveniuntur, forma *ni* semel exstat et quidem *ni forte* XI 2,27 (VIII 6,73 *ni tamen* ex Cic. laudatur).

Nisi forte, semper cum indicativo ut apud optimos auctores, plerumque per ironiam dictum, ut I 10,23; V 14,35; X 1,70; XI 1,12; XII 3,5. — Nisi solum significat ironiam, ut V 13,5. — *Nisi si* haud raro positum est ad significandam exceptionem (cf. Törnebladh l. l. p. 38), ut I 6,2; III 10,2; IX 2,98. v. Bonn. lex. s. v. nisi. Cf. Schmalz, Antib. s. v. nisi II p. 150. Haec locutio sermonis cotidiani propria praeter scriptores in Antib. laudatos etiam apud Vitruvium legitur, ut VII 3,8. — In Inst. orat. occurrit etiam nisi si forte XII 9,11. Crebrius vero similiter usurpatur *nisi cum* sequente indicativo, ut I 1,31; 5,17 et passim. Semel reperitur *nisi ut* V 10,57 nisi ut . . removeantur. Praeterea adhibentur ad exceptionem statuendam *excepto si* VIII 3,38, *excepto quod* IX 4,79 (cf. Wichert l. l. p. 231; ibi perperam laudatur VIII 3,38); uno excepto ne V 12,14; cf. exceptis quae IX 4,127; exceptis de quibus dixi X 1,9. — Nisi quod restrictiva signif. ter decies usurpatur, nisi quia nusquam legitur, semel *tantum quod* XII 2,31 (si lectio vera).

Quodsi satis frequens, ut I 6,24; 10,11; II 5,17; 6,6; 17,38; 21,19; XII 1,6 passim.

Condicionis enuntiata, quae nulla forma condicionali induta restrictivum praebent sensum [1]) (cf. si modo, si tamen):

Frequentissime posita sunt *modo* et *dum* semper sequente coniunctivo atque crebro etiam omisso verbo. *Dum* cum coniunctivo exstat: I 12,17; II 10,6; XII 8,2; 10,48 et passim; *dum non* X 3,7. Omnibus locis Quintilianeis comprobatur, quod R. Methner dicit de hoc usu

---

[1]) Cf. Rud. Methner, Glotta, Zeitschrift f. gr. u. lat. Spr. I p. 245 sqq. 'dum, dummodo und modo'.

coniunctionis dum l. l. p. 250: „Der zu einem Satz mit dum gehörende Hauptsatz enthält *nie eine Tatsache*, rondern stets eine Willensmeinung des redenden Subj.: ich räume ein, bin damit einverstanden". In hoc genus incidit etiam V 12,18 'dum levia sint ac nitida, quantum valeant *nihil interesse arbitramur*', ubi Radermacher vix recte sec. codd. excepto P 2 scripsit *sunt*.

Dummodo[1]) autem I 6,8 (nusquam alibi!) hac regula non continetur; at eius loco Quint. posuit secundum illam normam *dum tamen*, quae coniunctionis forma maxime invenitur apud ICt. Cf. Kalb, Roms Jur. p. 86. In Inst. orat. cf. I 1,11; II 12,7; VIII prooem. 32; X 7,25: totas materias vel silentio (dum tamen quasi dicat intra se ipsum) persequendi. *Dum tamen* spectat ad illud 'vel silentio' i. e. licet per silentium fiat.[2]) — *Modo* cum coniunctivo: I 3,12; II 4,7; XII 8,13 alibi. Verbum non sequitur aliquot locis: IX 4,58 dum ex iis; dum *non* otiosa; necessaria; I prooem. 16 modo *non* et vir pessimus; III 11,24; X 1,33; 3,5;[3]) 5,20 veras modo; cf. I 5,65 dum *ne* pugnantibus inter se duabus (vocibus). — Dŭmmŏdŏ et mŏdŏ quia facillime ad rhythmos allegantur versus hexametri, valde amabantur a poëtis et imprimis dummodo generis poëtici fuisse videtur. Quint. autem, qui poëtas diligentissime perlegerat, modo saepe adhibet nec omnino dummodo repudiat, sed huic particulae praefert *dum tamen*, quod fortasse sumpsit ex sermone cotidiano. Apud Caesarem *dummodo* nusquam occurrit, apud Tacitum tantum in dialogo et in Germ., in operibus autem posterioribus *dum*, ter *modo* legitur, quod et ipsum documento esse potest Tac. in genere historico exemplum sibi maxime a Sallustio petivisse, qui nec dummodo nec modo usurpat, sed *dum* admittit (cf. Constans l. l. p. 208).

Enuntiata relativa particula m o d o addita aut indicativum habent per analogiam coniunctionis s i m o d o, ut VI 2,25; XI 3,2; XII 10,69 aut coniunctivum per analog. coni. (dum)modo, ut I 10,30; V 14,34; XII 10,75.

§ 8.
Enuntiata concessiva.

In enuntiatis concessivis Quint. aliquantum declinat ab usu scriptorum aureae aetatis. Quod manifestum erit, si singulos particulas, quibus enuntiata concessiva introducuntur, consideraverimus.

Quamquam[4]) apud Quintilianum non raro etiam cum coniunctivo coniungitur, tamen multo frequentius indicat. reperitur. Coniunctivum legimus praeter eos locos quos Bonnell. affert: IV 2,32; X 2,21; X 7,17;

---

[1]) Dummodo in Bonn. lex. omissum est. Hac re adducti Törnebladh et Marty *dummodo* apud Quintilianum inveniri negant.

[2]) Cf. Methner l. l. p. 248: „Bisweilen ist dieser Satz, der die Willenserklärung enthält, aus dem Zusammenhang zu ergänzen".

[3]) Ad h. l. Peterson laudat Cic. Acad. II 104 dum sine assensu; Hirt. in Cic. Att. XV 6,3 dummodo diligentibus.

[4]) Cf. Schmalz, Lat. Syntax⁴ p. 553.

XII prooem. 1. — XI 1,5 propter orationem obliquam coniunctivus desideratur.

Indicativi exempla v. Bonn. lex. Praeter ea quadraginta fere loco notavi, ut I 4, 17; 5, 14; 63; 6, 42 etc. Discrimen indicativi et coniunctivi usus cerni non potest.

Quamvis in sermone vulgari imprimis viguisse videtur et cum indicativo et cum coniunctivo coniunctum. Cf. exempla apud Draeger, H.S. II § 566 et apud Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 554 allata. Praeterea laudat Quint. VI 3,60 *Vatini* facete dictum 'quamvis reus *sum* et panem item candidum edo' et ipsi quoque semel excidit indicativus, Inst. or. VIII 6,73. Cic autem hanc particulam in sermonem urbanum recepisse videtur, sed semper fere cum coniunctivo[1]) coniunctum (quamvis = wie du nur willst, daß) et cum positivo[2]) adiectivorum, quippe cum augeatur vis adiectivi. Sed paulatim, iam apud Ciceronem maximeque apud posteriores in locum coniunctionis quamquam succedit ac non solum ad rem exaggerandam adhibetur sed etiam ad factum aliquod significandum. Hunc usum etiam apud Quintilianum invenimus, cf. I 1,16; 5,66; II 10,15; III 1,5; V 10,76. Legimus etiam superlativum III 8,36 quamvis plurimum possint; VI prooem. 4 quamvis acerbissima rapta fatis. Cf. Schmalz, Antib. II p. 443.

Quamlibet primum occurrit apud Lucretium. (Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 555 adn. 1), tum imprimis apud Ovidium. Ex eo poëta fortasse assumpsit Quint. et ita in usum suum convertit, ut quia proprie idem valet quod quamvis, plane in eius locum succederet. *Semper enim cum coniunctivo ponitur* et cum *positivo adiectivorum*. Coni. persaepe legitur, v. Bonn. lex. s. v., praeterea I 6,44; IX 4,63 etc. Cum positivo adiectivorum verbo omisso reperitur plurimis locis,[3]) cf. I 10,4 multos quamlibet utiles foro; 10,17; II 4,32; VI 5,9; VIII 5,28; 6,4; IX 4,16; XII 8,7 qu. verbose. — Cum participio: XI 1,58; XII 9,2.

Quamvis sic iam apud Ciceronem invenitur (cf. nat. deor. II 1,1; Tusc. disp. III 73) Liv. Nep. Sall. Cf. in Instit. or. III 10,2; X 1,73; 1,94. Cum partic. I 6,14; 12,9; XII prooem. 4.

Etiam *quamquam* saepe non ad verb. finitum, sed ad adiect. vel partic. refertur, ut VII prooem. 2; X 2,53; 1,69; XI 1,64.

Cum adversativa et concessiva significatione semper cum coniunctivo positum est, ut apud Cic. Caes. Sall. alios, I 5,70; V 7,28; VI 3,8; 3,22; IX 3,3 et passim; advers. vi: I 6,37; V 13,45; VIII 6,32; XI 1,19.

Etiamsi frequentissime legitur cum indicativo, coniunctivus raro et tum maxime positus est, cum *si* sola coniunctio coniunctivum

---

1) Pro Rab. post. 2,4 'quamvis patrem suum nusquam viderat' Cic. vitare vult quam*quam* — nus*quam*.

2) De or. III 103 legitur nunc *quivis vitiosissimus orator*; cf. Stangl, Tulliana p. 36. Naeg.-Müller, Lat. Stil. p. 129[9].

3) Pro *quamlibet magnus* invenimus *quantuslibet*, III 8,22 quantalibet vis ingruat; cf. Ov. Liv. — XII 6,4 quantumlibet = quamlibet ut Plin. N.H. 39,37,14 cum coniunctivo. — Plin. N.H. XV 3,16 quamlibeat; ibid. 30,130 quantalibeat sub umbra.

posceret i. e. sensu potentiali, cf. II 17,30; I 12,1. — Etiamsi verbo quoque omisso cum adiect. vel adv. positum est; cf. I prooem. 4 res et. necessarias; 10,37 et. raro; II 20,6; omnibus locis sequitur *tamen*; at II 17,36 non exstat tamen, quia mutata est positio: 'non semper, etiamsi frequentissime' (cf. I 10,37 'et. raro, non tamen numquam'[1])).

Tametsi semper indic. sibi subiectum habet: I prooem. 11; IX 3,2; XI 1,80; XII 1,30.

Etsi,[2]) qua coniunctione et Cic. et Caes. et Nep. saepissime utuntur, apud Sallustium plane deest, apud Quintilianum, cuius Törnebladh l. l. unum tantum locum affert, X 1,65, qui nunc est mutatus, inveni quinquies: I prooem. 19; 5,28; II 5,19 (*et* <*si*> Spald., *et* codd.), XI 3,18, ubi variandi causa iuxta quamquam adhibetur; his locis exstat indic., at coniunct. vi potentiali V 13,3.

Pro etiamsi occurrit *etiam cum* II 3, 1; III 8, 10 sequente voce tamen. Sed positus est indicat., quia subesse videtur sensus tempor. (cf. cum interim!).

Licet vi concessiva saepissime usurpatur semperque cum coniunctivo, frequenter sequente *tamen* cf. I 2, 22; 5,3; 5,16; 6,17; XII prooem. 2 et passim.

Ut quoque saepius invenitur vi concessiva cum coniuntivo cf. I 2,16; 5,7; III 8,25; VI 3,112; prooem. 15. Omnibus his locis sequitur tamen. — VII 1,52 *ut* agere *non* potueris, adsidere potuisti; VIII prooem. 26; IX 4,89; VII 1,21.

Quod denique attinet ad *quamquam restrictivum* sive correctivum, ut vocatur, permulta sunt huius usus exempla. cf. I 5,8; 5,42; II 11,1; 15,9; V 10,2 passim.

Caput VI.

De verbo infinito.

§ 1.

De usu infinitivi.

Infinitivus coniungitur cum verbis his: affectare V 10,28; X 1,97. — aggredi I 5,54; II 2,2; III 6,1; VI prooem. 3; VIII 3,44 (Caes., Cic., Sall., Liv.). — assuescere I 2, 18; 9, 5. — audere saepissime, ut I prooem. 14. — coepisse cum inf. activi I 12,9; XII 3,10 passim. — coeptus sum c. inf. pass. VI 3,103 (cf. Cic. Tusc. I 13,29, Liv.). — cogere III 6,3 etc. — concedere VII 2,56; VIII 6,76; XII 1,37; 42. — concupiscere II 9,2; XII 10,14. — condiscere I 9,2. — conari I 6,12; saepissime. — consuescere X 3,30. — constituere XII prooem. 2 (consti-

---

[1]) Cf. quid Fr. Walter, Beiträge zur Textkritik der Scriptores Historiae Aug., Progr. Regensburg 1909 p. 18 coniecerit 29,1,3: etiamsi <minor>, non tamen minima fuerit cura; p. 19 adicit: 'etiamsi steht beim Adiektiv wie 2,3,6; 20,2,1. Plin. n. h. 7,27,100.'

[2]) Etsi omittitur in Bonn. lex. Quare videtur Marty l. l. p. 32 et 60 negasse etsi apud Quintilianum exstare.

tutum est), at VII 3,31; X 3,9 sequitur *ut.* — contendere i. q. studere X 1,125 (cf. Caes. b. G. V 6,3). — cupere IV 3,8; IX 4,134. — debere passim. — desiderare XII 10,62. — desinere II 18,3 etc. — desistere X 1,126. — destinare[1]) I prooem. 6; V 1,3. — discere VII 10,9; XI 2,45. — dissuadere II 8,7; IV 2,121 (Auct. ad Her. 3,5). — docere VIII 3,89 (Cassius). — non dubitare I 6,38 et saepe. — erubescere I 10,13; VI 1,14 (ex Graeco translatum). Cf. Schmalz, Antib. I p. 514[7]. — experiri II 13,17; VIII 6,64. — fastidire II 3,4; V 11,39. — festinare IX 4,146. — (non) gravari IV 2,21 (Caes. Cic. alii). — gaudere I 2,30; V 12,22; IX 2,78. — se iactare X 1,127. — incipere I prooem. 5; saepe. — indignari I 1,8; 11,17; 2,10. — ingredi[1]) I 3,18; II 15,33. — inhibere X 1,18; XI 3,13. — instituere I 5,63; III 2,2. — iubere XI 3,156. — (non) laborare II 17,8 (at I prooem. 15 *ut*, VI prooem. 1 *si*) cf. Schmalz, Antib. s. v. III 8,58 (Raderm. *e*laborare). — malle VI 3,28 etc. — merere[1]) X 1,72 (cf. Ov. Met. XIII 3,14; Vell. I 5,1). — mittere[1]) V 10,18. — necesse habere VII 2,16 (affirmative! Cic. negative; cf. Draeger l. l. II p. 305 et Landgraf, de eloc. Cic. p. 44); III 8,24; VII 2,53; XI 1,74. Ex Dom. Afro: VIII 5,3. — nolle saepissime, ut VI 3,30. — nequire I 7,26; II 4,28; VIII 5,27. — ordiri[1]) III 9,8. — periclitari XI 3,42. — permittere I 6,17; II 7,5; 10,5; XI 3,157; VIII 3,37; 5,15 (Vib. Crispus!). — perseverare[1]) III 8,19; VI 4,19; VII 1,30. — prohibere I prooem. 20; 2,9; VI 1,7; XII 1,31; IV 2,82 (quid prohibet). — posse frequentissime. — satis habere III 6,28; VI 5,11; IX 4,15 (notasse). — scire II 1,3; 6,6; IX 2,4; 4,4; X 3,5 etc. — solere XI 1,8 saepe. — studere I 5,60; V 12,21. — suadere[1]) II 5,23; 7,2; XI 3,49. — (non) sustinere[1]) II 4,28; III 6,64; XII 9,10 cf. Vell. II 81,1. — temptare II 14,1 passim. — tendere (efficere) = contendere, studere IX 2,21. — velle VI 3,28 saepe. — vereri X 1,101; 7,26; XI 1,68; XII 11,9.[1]) — vetare IV 5,3; X 5,5.

Accusativus cum infinitivo sequitur haec verba: abnuere V 8,3; VI 2,11. — accepimus I 8,2; 10,32; 11,18 et passim; accipere = intellegere IV 2,20. — adicere I 2,29; II 17,7; III 5,16; IV 2,3; V 10,95; 14,33; VI 2,12; VIII prooem. 8; XI 1,48 (at *quod* legitur II 17,40; XII 2,25). — admirari VII 4,40; XI 2,5. — admonere II 17,9; 4,10; IV 5,19; V 11,24; VII 2,19. — adnotare V 11,32; VIII 2,4; 6,2. — affere II 17,12. — affirmare I 6,36; IV 2,79; VI 3,11; IX 2,1; XI 1,85; 3,5; XII 2,5. — ait I 6,36; II 15,18; 15,22; III 5,18; V 12,10 (Scaurus!); VI 3,18; 32; VIII prooem. 13; 3,84; XI 1,80; 3,31. — aiunt II 17,17; 17,22; V 13,43. — aiebant VI 3,41 (Caelius). — arbitrari I prooem. 2; passim. — assentiri IX 3,90. — canere III 7,11. — coarguere IV 2,4. — cogitare I 1,10; V 10,122; VII 1,46; 10,10. — colligere III 6,103; VII 3,18. — comperire I 5,22; 7,24; XI 2,12. — complecti III 668 (cf. Friz l. l. p. 5 adn. 1). — concedere I prooem. 10; passim — conferre illuc orationem VII 2,36. — confidere V 12,17; XI 1,92. — confirmare I 5,15; 10,10; II 17,41; VI 3,102. — confiteri I 5,37; V 11,42; IX 4,16; XII 8,5. — consentire III 8,66; passim. — contendere (= affirmare) I 2,25;

---

[1]) Cf. Schmalz, Antib.[7] s. vv.

XII 2,25 etc. — convincere II 15,14; XII 1,41. — credere II 15,7; VI 1,7; 2,32; saepissime. — criminari II 17,26. — declarare VIII prooem. 15; IX 3,5. — declinare (ad illa) VII 2,30; (ita) IX 2,92. — defendere III 6,27; 6,83. — demonstrare I 10,18; VIII 6,15. — deprehendere IX 2,44. — desiderare (= postulare) I 8,13. — desperare V 12,3; X 5,5; XII 10,75. — dicere saepissime. — diffidere X 1,126. — diffiteri II 17,5. — discere I 10,46. — dissimulare I 2,2; IV 2,64; X 3,14; IX 4,80. — docere I prooem. 17; 5,43; saepius. — nemo dubitaverit I 10,12; frequentissime. — existimare III 6,35; IX 2,71; X 5,10 etc. — experiri II 4,13; X 3,32. — fateri I 5,37; V 7,15; VI 1,7; saepe. — ferre XI 1,66; 69; 3,27; ferunt II 3,3 — fingere I 5,35; III 6,100; IV 1,46; IX 2,33; 2,60; passim. — gaudere I 1,20; II 7,5; 1,5; VIII 5,18 (Nero ap. Sen.); at IX 2,52 ex Cic. Verr. IV 17,37 *si*. — gloriari II 11,3; 17,21; VI 3,75; XII 8,3. — iactare I 2,2; XI 3,119. — ignorare I prooem. 1; passim. — indicere V 8,4; VIII 2,2; X 7,15. — indignari X 1,101. — infitiari II 1,6; XII 10,74; infitias ire III 7,3; IV 2,67; VII prooem. 4. — intellegere II 17,26 et frequenter. — invenire IV 1,19; VI 3,53; XI 2,9. — iocari V 13,46. — iubere VII 1,47 etc. — iudicare IV 2,128 etc. — iurare X 2,17. — malle III 6,55 et passim. — meminisse cum inf. perf.: VIII 3,31; IX 4,90; X 3,12; XII 5,6; tamen meminerimus cum inf. praes. I 6,12; III 8,44; IV 2,62; 2,93; VII 1,2; X 1,28; 33. — mentiri XII 8,3. — mirari I 4,12 et saepe. — monere V 10,83 et frequenter. (at ut II 9,1; ne I 3,13) — monstrare VI 5,7. — narrare IV 2,87. — negare I 6,10 et saepissime. — notare III 7,28; VIII 3,29; IX 1,9; 4,15; XI 2,17. — nuntiare VI 3,77. — obicere II 16,3. — obtinere (= affirmare) V 13,24 (at *ut* IV 2,100). — omittere II 17,42; VII 2,38; XI 2,42. — opinari ep. ad Tryph. 1; I prooem. 4; IV 2,20; VI 3,20. — optare[1]) I 1,6; X 1,127; 7,23 (tamen *ut* XII 9,7; ne XII 9,13). — ostendere I 10,17; VI 3,2; passim. — pati I 11,6; frequenter. — pernegare VII 2,25. — persuadere IX 4,9, crebro. — pertendere IX 2,83. — ponere i. q. statuere III 11,16; IV 2,20; 92; V 13,25; VIII 4,4. — postulare XII 3,2 cf. IX 3,31 (locus ex Ps.-Corn. IV 14). — polliceri V 7,13 etc. — praecipere V 7,7; 13,9; IX 4,11; crebro. — praetendere VIII 5,15 (= simulare). — praeverti ad illud XII 2,4. — probare I 6,29; II 17,17; frequentius. — prodere XI 1,30 (= dicere). — profiteri I 10,31; XI 1,89; XII 1,21; 11,6. — promittere IV 5,11; 5,18; 2,128; XII 5,1; 10,1. — proponere XI 1,27. — putare frequentissime, ut VI 3,7. — queri V 13,42; VI 1,16; 2,31; 2,34; VII 1,32; 4,30; X 1,45; VIII 6,47 (locus Cic.). — referre V 11,36; VIII 6,9. — reor II 16,9. — repetere I 6,10; VI 3,46; 3,101 — respondere IV 2,13; VIII 1,2; XII 1,18. — scire I 2,23 et saepissime. — sentire crebro, ut I 10,25. — significare VIII 6,20; 64. — simulare IV 2,22; saepius. — sinere[2]) I 6,34; 1,11; X 1,126; 6,6; 7,32. — sperare VI 3,92 et passim. — suadere III 8,37 et frequenter. — subicere IV 2,74. — suspicari IV 5,18; VI 3,95; VII 3,34; 2,25. — tendere (eo) VII 1,59. — testari

---

[1]) De hac constructione cf. Schmalz, As. Poll., p. 26 sq.

[2]) Hoc verbum omissum est apud Bonn. (lex).

I prooem. 26; II 17,2; 21,20; VI prooem. 4; 5.9; XI 1,65; XII 1,20; 2,23. — tradere IV 2,43; IX 4,38; XI 3,8 et crebro. — transferre X 1,82; XI 3,183. — vetare I 6,41 etc. — videre saepe, ut I 2,2. — velle frequenter; cum inf. perf. satisfactum III 6,65.

Verba impersonalia, quae sequitur infinitivus, haec fere sunt: accidit III 6,56 (bono esse) — quid attinet II 10,8; XII 10,41; 11,15 neque att. II 15,37. — contingit V 7,25; 14,14; VI 1,4 et passim (rarius ut: IV 1,7; IX 3,72; XI 2,39; 51). — convenit III 11,3; XII 2,29; 8,14; frequenter. — datur VI 3,100; 5,10; IX 1,20; X 7,22; XI 3,125; 3,127. — decet IX 2,66; saepius (VIII 6,24 dixisse). — dedecet XI 3,124; 140; XII 6,3. — delectat I 1,29 (reliquisse). — expedit II 13,8 et passim. — iuvat XI 2,32. — libet I 10,28; 12,12; X 1,13. licet I 1,36; saepe (tamen *coniunctivus* paene toties ponitur quoties inf.) — necesse est V 10,11 et persaepe (toties invenitur *coniunctivus*) cf. necessarium est II 8,6 et frequenter; inter necessaria est V 12,3 (cf. necesse habere). — nocet VI 4,15; X 1,104; 2,25; XII 9,16; cf. obest XII 8,7. — oportet I 11,17 et saepius. — paenitet I 1,34; III 6,65; XI 1,55. — piget I 10,43 et passim. — placet I 4,1 et saepius. — prodest II 6,2; IV 1,3; 2,25; V 7,24; 27; V 11,32; X 5,9; IX 2,83; XI 1,2; 2,27; II 13,4 (cf. *pro* Caesare *est* III 8,56 infra!) — pudet I 2,31; saepe. — subit XI 2,5. — sufficit IV 2,41; VII 3,9; 4,31; X 2,15; XII 5,6; 11,25. — vacat I 12,12; X 1,58; XI 1,50: mihi esse diser*to*. — Adde: satis est XII 8,12 et saepissime (at II 4,17 *si*).

Verba impersonalia, quae sequitur accus. et infin.: apparet V 10,9; X 7,30 et saepe. — nihil attinet VII 1,38; 2,41; quid att. V 13,48 (Vib. Crispus). — constat II 4,41; passim. — continetur = scriptum est V 10,111. — convenit VII 2,18; 3,9. — decet VIII 5,23 etc. — delectatur II 2,13 (= iuvat). — esto X 5,6 (IX 2,84 coniunct.). — excidit (mihi) II 3,10; XI 3,130. — expedit II 13,6; VII 2,49. — fallit II 4,40; III 6,58. — fugit XI 1,8. — liquet III 8,24; V 10,14; XII 1,42; 2,24. — occurrit VII 1,59; 1,61. — oportet II 2,14 et saepe. — palam est[1]) IV 1,40; 2,87; VII 1,52; IX 2,77; XI 1,64; 3,168; cf. palam facere XII 11,29 cf. Cic. Cato Maior 18. — patet I 10,45; VII 6,5; VIII 2,16; XI 1,11. — placet I 5,41; II 2,14; VIII 6,22. — prodest XI 1,2; III 5,12; cf. *pro* Caesare *fueri*t occidi Pompeium. — succurit XI 177.

Substantiva et adiectiva, quae sequitur infinitivus (et accusativus) haec maxime referenda videntur: affirmatio IV 2,79. — in *animo* est V 1,3; VI 2,25; VII 4,40; IX 2,1; X 1,44. — ars V 7,32. — auctor I 10,10; II 4,42. — calumnia II 17,18; X 1,115. — consuetudo I 6,44. — curae X 1,31; cf. IX 3,74 (at X 6,5 curae habere *ut*). — dedignatio I 2,31. — extra *dubitationem* est VII 1,48. — exemplum V 11,40. —

---

[1]) Cf. Sander l. l. II p. 17, qui locum 44,18 recte explicavisse videtur, sed adicit: „Da aber diese Konstr. (palam c. inf) nach Dräger überhaupt nur *zweimal* vorkommt, so weiß ich nicht, ob man nicht lieber die Häufung der Adverbia erträgt". Ergo loci supra ex Quintiliano allati Draeger l. c. adiciendi sunt et Sanderi opinio confirmata videtur. Cf. etiam Sen. n. qu. VI 16,1 non esse terram sine spiritu palam est.

fas X 2,9; 4,3; 7,31; II 13,1; VIII 3,36; XII 7,1 cf. nefas X 2,5 (at XI 3,181 *ut*); nefas ducere XII 2,26. — labor (primus) XI 2,18. — moris est IV 3,1 et frequenter (cf. Bonn. lex. s. v. p. 538 δ). — officium II 9,3; XII 10,40. — e *republica* est XII 1,42. — vis VIII 6,23.

absurdum IX 2,30. — certum VIII prooem. 14; XII 1,13; 9,19. — consequens V 10,77. — *contentus* IV 2,128; VI 2,23; XI 1,53; VIII 6,2. — credibile III 8,17; V 6,2 et passim. — *dignus* X 1,96; aliis locis *qui:* X 1,115; ibid. 131. cf. in*dignus qui* VII 1,58; VIII 5,12 legimus *dignus ut;* cf. XII 11,24 (Plaut. bis; Liv. bis; cf. Schmalz, Antib. s. v.). — dubium VIII 6,36; XI 1,60; XII 11,3. — *expeditus* (= facilis) colligere I 10,42; (VIII prooem. 3: *ad*). — fanaticum XI 3,71. — improbum VII 1,61. — incredibile III 7,5; V 5,2; VII 2,31. — infinitum VI 5,10; XI 3,121. — manifestum II 4,27; 20,6; VII 2,18; 7,2. — mirum VII 6,1; XI 2,44. — naturale VII 1,26. — necessarium v. supra s. v. necesse! — par X 1,65. — plus IX 4,44. — proximum VII 4,13; 7,1. — serum IV 2,115. — supervacuum est VII 2,18; IX 2,87; XI 2,45 cf. superv. habere VII 2,21. — verecundum VII 1,56. —

Plurimis talibus locis adiectiva vicem praedicati obtinent.

Nominativus cum infinitivo his verbis adiungitur: argui II 4,35; VII 2,18 (cf. Curt. VI 11,35). — credi I 10,17; III 1,11; IV 2,52; 2,126; V 10,64; VI 2,18; VII 2,34 (bis); VIII 2,21; IX 2,62; X 1,125; XI 1,16; 1,65; XII 7,3; ibid. 4. — deprehendi[1]) I 6,7 cf. Min. Fel. 7,2. — dici saepissime, ut III 1,12; 1,17; V 12,5; 12,10; X 2,28. — existimari I 5,9; IX 2,92; X 5,7. — fingi VIII 2,20; 5,22. — intellegi IX 4,57. — iuberi XI 2,11; X 7,11; VII 4,14. — negari I 6,4; II 16,7; V 14,22. — ostendi III 6,12. — poni I 10,33. — prohiberi VI 1,7. — simulari IX 1,14. — tradi X 1,10; II 4,19. — vetari II 16,4; cf. IV 1,65. — videri frequentissime, ut I 4,3; 10,47 etc.

Tamen multa ex his verbis etiam impersonaliter usurpantur: dicitur, ut V 13,24 et saepe. — creditur XI 1,64; 2,50; II 15,7; XII 1,4; creditum est X 4,1; 1,48. — ostenditur VI 2,22. — ponitur IV 2,92. — traditur XI 2,50 etc. traditum est I 10,9; 10,14; V 12,2; XII 6,1. — Cf. sciebatur interfectum eum VI 1,31. —

§ 2.
De usu supini.

Supinum in *um* exiens unum tantum invenimus XI 1,42 *ultum ire* scelera et iniurias. Cf. Sall. b. J. 68,1. Liv. Tac. (v. Draeger l. l. p. 89). Cf. Schmalz, Lat. Synt.,[4] p. 464 sq.

Supinum in-*u* desinens item unum certum est, de ceteris dubites, utrum substantivum an supinum sit: *dictu* I 1,37 res modica d. 2,8 pudenda d. cf. VI 4,7; I 3,16 d. deformia; cf. VIII 6,59; parum speciosa d. VIII 6,8; asperiora d. XII 1,37; difficile d. VII 1,5; mirum d. XI 2,43. —

---

[1]) De huius verbi signif. et usu apud Quint. cf. Schmalz, Antib.[7] s. v. I p. 421 sq.

VIII 3,16 legitur *auditu* pulchrius, sed VIII 3,17 *ipso auditu* aspera. — Item occurrit VIII 3,10 pulchrius *aspectu,* sed XI 3,55 aspectu integra. — Cf. VIII prooem. 2 asperior *tractatu,* ibid. 5 *in toto* artis huius *tractatu.* — Cf. etiam VIII prooem. 4 '*ad percipiendum* difficilia' et XII 1,45 *probatione* difficilia. II 3,1 *ad intellectum* atque imitationem facilior; I 10,42 expeditus *colligere; ad*: VIII prooem. 3.

§ 3.
De usu participii.

Ab usu veterum maxime Quint. eo recedit, quod part. fut. *frequentissime* ita adhibet, ut vim enuntiati obliqui obtineat. (cf. P. Hirt. l. l. p. 24 sq.). Ablativus absolutus huius participii non invenitur. Cf. I 1,35 rem postea proprium tempus desideraturam i. q. quae desideret; item I 3,16; 8,18; 12,17; II 4,33 aliaque. — Pro enuntiato condicionali [1]) usurpatur VI 4,1 tractaturus non alieno loco videor; similiter VIII 3,41; 4,2; X 1,99; 1,119. — Pro enuntiato causali V 12,22 initurus; cf. 2,2. — Pro enunt. concess. V 10,1 et saepius. — Pro partic. praes. cf. VI 1,7 vera et iusta et in commune *profutura.*

Ablativi absoluti participiorum saepe reperiuntur, ut III 8,46 pollicente eo; V 11,13 nullo accusante; III 11,1 his inventis; IV prooem. 1 perfecto tertio libro.

Audacius ablativi absoluti pro substantivo positi: excusso VII 3,28; reperto II 15,38. [2]) Cf. Schmalz, Lat. Synt.,[4] p. 390.

Participio adiungitur nonnumquam particula *tamquam,* ut V 13,22; VI 1,39.

Part. absol. reperitur pro part. congruente: I 1,1 *nato filio* pater spem *de illo* primum quam optimam capiat; cf. I 3,1 *tradito sibi puero* docendi peritus ingenium *eius* imprimis naturamque perspiciet. Hic usus haud dubie familiari sermoni est tribuendus. Cf. *Caes.* b. G. IV 21,6 *quibus* (sc. legatis) auditis-*eos* remittit; IV 12,1 nihil timentibus *nostris-nostros* perturbaverunt. III 14,4 *turribus* excitatis . . . tamen *has* . . . superabat; V 4,3 principibus convocatis . . . *hos*; 44,6; VI 4,4; 43,1. Cf. Schmalz, Lat. Synt. p. 390 adn. 1.

§ 4.
De usu gerundii (et gerundivi).

Quint. in usu gerundii libertatem propriam sibi non permittit. Dativus gerundi(v)i occurrit post verba sufficiendi I 9,3 *cuicumque discendo* et vacandi XII 3,10 *discendo, docendo;* post adiectiva aptus (XII 10,51 *dicendo-scribendo*) et idoneus (II 10,6 *viribus, conservandis*) cf. XII 11,22 *cui docendae* elaborarunt.

---

[1]) Vis potest esse etiam potentialis cf. XII 10,73 casuris, si leviter excutiantur, aut irrealis cf. XI 1,74 detracturus, si fateretur; ibid. 2,16; XII 8,15 quod ipsum movisset de eadem re pronuntiaturum.

[2]) cf. p. 79 *excepto* si, quod, ne etc. — cf. etiam Vell. II 107,2 *impetrato* ut.

Genetivus gerundii ponitur apud substantiva pluralia ad effugiendas dissonas formas. Cf. III 1,18 cert*as* sect*as* sequen*di*; X 1,75 histori*as* scriben*di*; at V 10,104 unius servandi.

Ablativus semper gerun*dii* adhibetur, nisi praepositio *in* vel *de* poscit gerun*divum*.

Denique gerundivum usurpatur apud verba haec: dare, facere, relinquere, suscipere; cf. VIII 4,24 magnitudo aestimanda nobis datur; II 13,13; VI 3,44; VIII 5,21. — XII 10,6 Euphranorem admirandum facit quod etc. — IX 2,25 aliqua . . . relinquimus aestimanda; ibid. 3,61. — II 8,1 quos erudiendos susceperit; 8,13; XII 1,40 (tuendum). — Cf. VII 1,9 Varenum occidendum . . . *curavit* (si quidem lectio vera est!). —

Pars III.

De compositione sententiarum.

Iam sequitur illa pars, quae tertia est proposita, quali dicendi genere Quint. usus sit, quo modo orationem suam illustraverit, quas leges in compositione sententiarum secutus sit, quia ex hoc quoque cernitur, quem locum inter scriptores aetatis argenteae obtineat. Neque enim domus solo constructionis genere docet, qualis sit dominus, qui intra parietes habitet, nisi ornamenta ac decora interiorum partium et quasi penetralium perspexeris nec sola syntactica ratio naturam scriptoris indicat nisi noveris ornamenta dicendi ac lumina, quae orationi suae addere sciverit. Talia autem in Instit. orat. non frustra quaeri, quamquam loci quidam *prope nudam praeceptorum traditionem desiderare* videntur, ipse auctor affirmat. Veritus enim, 'ne ieiuna atque arida traditio averteret animos legentium et aures praesertim tam delicatas raderet, admiscere temptavit aliquid nitoris' (cf. initium libri III!).

Caput I.

Et periodos quidem longiores summa arte circumscriptas, ut in tali opere, non ita multas invenias in Instit. orat. Cum ipsa materia multis locis asperior est, quam ut facile et apte formari possit, tum etiam vires Quint. defecisse videntur,[1]) utique si ingentem numerum interlocutionum intuebimur, quibus tota enuntiata intercluduntur sermoni continuo per particulas *nam, namque, enim, sed, autem, igitur, fortasse, et* = etiam etc. et quibus dissecatur oratio. Cf. IV 2,93, ubi bis parenthesis inseritur coniunctione *enim.* Praeterea interponitur saepius vocabulum aliquod vel verbum, quod verbum finitum esse exspectaremus. Cf. VII 2,52 codicilli *dubium* ad quem scripti (cf. Tac. ann. I 5. — Ov. Suet. Iust. Flor.). — I 12,10 sic animi quoque *credo* . . . non similiter fatigantur. — VI prooem. 10 studiique iam tum non coacti, *sciunt* praeceptores. cf. IX 1,25 *scio.* — VII 1,49 quid aliud, *saepius dicam,* natura permittit; VIII 3,6 *repetam enim,* VI 3,16; VII 9,2; VIII 2,10; 3,48; 3,82; IX 3,81; 3,97. (Plin. N. H. et Sen. interponunt *malum* cf. Sen. de consol. 3,4.). Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 658 § 52.

Tamen nonnullis partibus, maxime autem exordiis et clausulis

---

[1]) De 'implicitis ac perplexis periodis' v. Bonnell. lex. proleg. p. LXXX sqq.

capitulorum maiorem impetum studet addere. Cf. V 10,124—125; VI prooem. 1; V 9, 1—2. In ceteris autem amat ille parataxin singularum sententiarum, quas variis particulis inter se iungit. Quo fit, ut saepissime occurrat *ideo, ideoque, et ideo, eoque,* ubi probati sermonis auctores aut priorem sentiam aut secundam subiungebant. Frequentissime reperitur *ideoque,* ut in solo libro I: prooem. 25; 2,12; 2,30; 4,19; 5,30; 41; 42; 46; 5,70; 6,22; 7,11; 8,5; 10,41 etc. Cf. ideo I 12,4; II 13,9; V 10,115; et ideo V 10,2; eoque IV 2,19; 3,3 etc. v. Bonn, lex. s. vv. Quare magis ad sermonem Quintilianeum convenit lectio Radermacheri V 9,3 'quae sunt *ἄλυτα σημεῖα* <eo>que mihi . . . videntur' quam Kiderlini (v. Meister!). — Sic porro adhibetur *propter quod,* velut I 10,37; IV 1,56; V 11,43; X 1,10; 7,6 et passim, *propter hoc* (II 12,6), *propter quae* (II 13,14; X 1,61).

Parataxis pro hypotaxi etiam talibus locis memorabilis videtur: II 15,24 Plerique — in maximum errorem inciderunt creduntque (= cum crederent; cf. XII 10,26 melius de hoc nomine sentiant credantque; V 11,2 dixeruntque; VII 4,14 et dicit.

Caput II.

Deinde constat scriptores argenteae aetatis inter virtutes habuisse et breviter, immo nimis saepe breviter, sententias contrahere sine ambagibus ullis et insigni verborum positione aut oppositione exaggerare orationem atque amplificare. Quare nostrum erit inquirere, quantum Quint. huic consuetudini morem gesserit. — Versatur autem illius brevitas in asyndetis et in ellipsi.

§ 1. *Asyndeta* frequentissime inveniuntur in enumeratione et ubi contraria aut certe disiungenda inter se opponuntur. Notandi sunt loci: II 16,6 ignes aquas (tum: solem luna*mque*); X 7,6 huc illuc; V 9,11 livores, tumores. I 4,29 dictu, factu (antecedit noctu *et* diu); II 9,2 laeti alacres. Cf. Radermacher, praefatio p. VIII sq. — In enumerando vero modo tria, modo quattuor, modo plura membra occurrunt, saepe ita, ut certa lege inter se sequantur; tria: cf. VII 1,45 avarum, impium, ingratum; ibid. 2,14; 5,5. — IV 1,17 asperi lenes, iucundi graves, duri remissi; VI 1,14; 2,30; XI 3,58; 3,61 dolentium, irascentium, indignantium.[1]) — quattuor: I 6,1 sermo constat ratio*ne,* vetus*tate,* auctori*tate,* consuetudi*ne*; VI 1,11 invidio*sum,* favora*bile,* invi*sum,* misera*bile*; V 13,41 tacu*isse,* brevi*asse,* obscur*asse,* distul*isse.* cf. V 13,19; VII 4,18; 10,14; V 13,2 et locos innumerabiles. II 13,15: *multo* labore, *assiduo* studio, *varia* exercitatione, *plurimis* experimentis, *altissima* prudentia, *praesentissimo* consilio constat ars dicendi. Praesertim ubi oratio paulum assurgit vel concitata est, invenitur asynd. cf. I 2,7 nos docuimus, ex nobis audiunt, nostras amicas etc. I 3,7; II 4,7.

In oppositione non minus crebro adhibetur, ut VI 3,2 nam plerique Demostheni facultatem defuisse huius rei credunt, Ciceroni modum; X

---

[1]) Recte Raderm. VI 2,3 emendavisse videtur: flendum <gaudendum> irascendum. Cf. etiam IX 3,102 irascentem, flentem, rogantem. Cf. Vell. II 130,4 dolere, indignari, erubescere.

1,130; 2,3; V 10,120; VI 3,28; IX 4,147; XI 1,36; 3,182; XII 5,4 intellectus hic sit operis, non metus, moveamurque, non concidamus. Nonnumquam, si res poscit, *anaphoram* adhibet Quint. (v. figaras, quae efficiuntur positione!).

Asyndeton in parataxi pro hypotaxi: II 16,6; V 10,48. — VII 1,7 convenit, transeo (cf. IV 2,12 convenit: *sed* erit . . .) — V 13,8 testes erunt: multa in eos dicere licet; cf. XII 10,36 non possumus esse . . ., simus fortiores. — V 10,105; 110. Exempla rationis syllogisticae V 8,7 ut 'dies est, nox non est' e. q. s. Cf. etiam XI 1,38 negat . . ., insania (sc. est), verte, ut . . . dixerit, adrogantia est. Cf. Sen. ep. XIV 3,15 placet: pare; non placet: quacumque vis, exi.

§ 2. *Ellipsis* frequentissime reperitur apud Quintilianum et substantivi et verbi.[1])

De ellipsi substantivi.[2]) 1. Vocabula t e m p o r i s ac l o c i facillime omittuntur, id quod apud priores quoque interdum invenimus (cf. Grasberger l. l. p. 7 sq.):

V 10,16 in crastinum (sc. diem). Cf. Plin. N. H. XXXIII 2,30 in hodiernum. — I 5,13 Trasumennum pro Tarsumenno multi auctores (sc. lacus) — I 12,13 dextrā, laevā (sc. manu) cf. VI 3,69; X 3,131; 160. rectā, sinistrā, laevā iam ap. veteres exstat. — V 10,123 nisi rectā nos ad ea ferant (sc. viā). Cf. Sen. ep. XX 2,1: compendiariā te ducam; ep. IX 2,12 te in caelo compendiario (sc. intinere) voco. — VI 3,44 in Privernati, in Albano, in Tiburti (sc. praedio). Cf. Cic. — XII prooem. 3 in altum (sc. mare); cf. XII 10,37 alto feremur. Audacius Plin. N. H. XII 3,52 e Rubro (sc. mari). —

2. Varii usus exempla haec fere sunt: III 7,5 in profluentem (sc. aquam). Cf. Cic. de inv. II 5,149; Flor. I 1,2; IV 12,9. — V 11,31: frigidam (sc. aquam). Cf. Plin. N. H. XXVIII 5,14; XXIII 41,83. Sen. ep. VI 1,3; VII 5,1; dial. III 1,12. Col. praeter *caldam* etiam *caldum* habet (Graece: τὸ θερμόν = ὕδωρ); Suet. Cl. 40; Ner. 31. — VI 3,52 heminaria (sc. munera). Cf. Suet. annua Tib. 50; Vesp. 18. Item Sen. Plin. min. — VII 3,10 (3,30; 8,2) amatorium (sc. remedium). Cf. Sen. Plin. N. H. Suet. habet amatorium medicamentum. — IV 4,6 mutuam accepisse (sc. pecuniam);[3]) cf. VII 3,22 privata; IV 2,61 certa credita; VIII 3,14; XII 10,70 (VII 2,51 creditum et depositum; VII 2,50 credita pecunia; 3,1).— II 4,9 musta (sc. vina).. Cf. Plin. N. H. XXX 4,11 in passo.

Praetera Quint. terminos technicos, qui vocantur, multos rhetori necessarios usurpat et brevitatis causa ea nomina, quae quia versantur in arte rhetorica, facile intelleguntur, omittere sibi permittit: 1. liber: I 7,19 in nono; VII 9,10 in primo; cf. VIII 3,78; IX 2,37; 1,26; II 15,6 in rhetoricis; III 1,20; 3,6; 5,14; 6,49; 11,10. Cf. Stat. silv. 4 praef.

---

[1]) De ellipsi v. Naegelsb.-Müller, Lat. Stil., § 182⁹ sqq. Ibi multi afferuntur libri, quibus ellipsis apud singulos scriptores tractatur.

[2]) Cf. P. Hirt. l. l. p. 26 sqq.

[3]) Similiter nummus: VI 3,80 victoriato. Iam Liv. dicit aureus, item saepe Suet.

in quarto silvarum. Prisc. alii. — 2. versus: IX 4,88 herous, dactylus, iambus, trochaeus. cordax; ibid. 89. X 1,88 lascivus. — 3. fabula: V 1,100 togatis excellit Afranius (Cf. Vell. I 9,3; Hor. a. p. 288). Praetexta: Hor. Suet. (Caes. 84), non Cic.[1]) Cf. Suet.: trabeatae.

Quint. VIII 4,34 dicit: 'Quae *vetera* nunc sunt, fuerunt olim nova . . . piraticam quoque et musicam et fabricam (cf. II 21,10) dici adhunc vetabant mei praeceptores'. Ipse autem veritus von est ea nomina ex Graeco sumpta sic usurpare sine vocabulo, quod intellegitur, *artis*. Item dialectice, grammatice, poetica, rhetorica. Cf. Suet. Vit. 2 etiam *furnaria*.

Etiam *genetivus* et *dativus* (sc. casus) adhibet Quint. et quidem primus, cum *nominativus* iam apud Varronem inveniatur (fortasse iam *genetivus* cf. Macrob. sat. III 6,5); cetera autem nomina casuum apud posteriores demum occurrunt grammaticos. — I 4,6 consonantes, vocales, semivocales (sc. litterae). Sic frequenter plurali numero; sing: I 7,9 littera sonsonans; cf. 7,26. — I 5,16 pluralia, singularia (sc. nomina); I 5,45; patrium pro possessivo dicitur (sc. nomen — nomine). — Oratio sive materia omittitur: deliberativa III 8,1; saepius; iudicialis III 8,63; VII 3,18 in Philippicis. — Prosa I 8,2 etc. Modo omittitur oratio — id quod crebrius fit — modo additur, ut XI 2,39. — *Themata* accipienda sunt IV 2,30 in scholasticis quoque evenit. cf. VII 1,14.

De ellipsi verbi. Proponam breviter Quintilianum ea vocabula saepe omittere, quae ex contextu rerum intelleguntur, velut VIII 3,16: ut syllabae e litteris melius sonantibus clariores sunt, ita verba e syllabis (sc. *melius sonantibus*) magis vocalia. V 10,19 ne se consummatos putent et (sc. ut) intellegant; VI 1,29 cum in aliis (sc. partibus ex sequente parte) tum in hac maxime parte. — Sic verbum potissimum ibi deest, ubi ex verbo proximi enuntiati facile suppleri potest, sed alia forma. Huius generis exempla haec afferam: I prooem. 13 lingua *esse* coepit in quaestu institutumque (sc. *est*). — V 13,7 defendenda *sunt* . . . aut causa cedendum (*est*); cf. I 1,34; VIII 2,14 plus *est* obscuritatis . . . et plures modi (sc. *sunt*). — III 1,15 Theophrastus . . . *scripsit* atque hinc (sc. *scripserunt*). II 8,1 nam *est* . . . nec (sc. *sunt*). — II 17,39 sed an causa vera sit, *nescit* — ne medicus quidem (sc. *scit*) cf. ibid. 38.[2]) — XII 10,14 haec manus . . . *insequebatur*, unde nunc quoque aridi et exsuci et exsangues (sc. *insequuntur*); cf. I 1,16 alii . . . praeceperunt, melius autem (sc. *praecipiunt*); X 1,38 si et illos e. q. s. (sc. *persequamur* ex antecedente *persequi*). Similiter I 10,29: nam poëtas certe legendos oratori futuro concesserint: num igitur hi sine musice (sc. legendi)? ac siquis tam caecus animi est, ut de aliis dubitet, illos certe (sc. legendos o. f. *concesserit*), qui carmina ad lyram composuerunt.

Venimus nunc ad eam ellipsin, qua verbum omnino omittitur,[3]) sed ex positione reliquorum, quae exstant, vocabulorum certa forma in lo-

---

[1]) Schmalz, As. Pollio, p. 32 monet *praetextam* iam a Pollione dici, Fam. X 32,5.

[2]) Comparari hic potest Tac. ann. XIII 56 'Deese nobis terra in vitam; in qua moriamur non potest' cf. Nipperdey-Andresen ad h. l.!

[3]) Cf. K. Fritz, Sogenannte Verbalellipse bei Quint., Tübingen 1905.

quendo vel in legendo sentitur et quasi subauditur. Et ut intellegatur, quam late illa apud Quintilianum pateat, imprimis quaerendum videtur, quae verba in hunc usum recidant. Desunt autem cum verba *dicendi* et *faciendi*, tum maxime verbum *esse*.

Dicere, facere: I. in transitu familiari saepe ellipsis verbi dicendi invenitur ut apud poëtas et in epistularum genere (cf. Friz l. l. p. 71 sq.), ut hactenus: I 5,54, 12,19: IV 2,30; haec I 10,1; VII 2,34; quid VIII 3,26; XII 11,24; pluribus III 8,5; alio loco V 10,60; 14,32; prius I 2,3; nunc III 6,9; multa VIII 5,33. Notanda est etiam formula illa, qua suppletur *revertamur*, ut III 6,60: nos ad Hermagoran; 6,97; 8,10; V 12,23; VIII 3,14.

II. In citandis auctoribus: IX 3,58 Cic. ad Brutum; XI 1,82 Cic. varie. — Plerumque auctores inducuntur particula *ut* cf. V 11,15 ut Cic. pro Milone; 11,24 ut Cassius. — Interdum opus modo nominatur sine nomine scriptoris, ut IX 4,92 sed hoc pro Cluentio recte; XI 1,4; VIII 6,46. — Supplenda verba dicendi (vel faciendi) in nominibus praedicandis additis his particulis: bene II 15,36; X 1,56; melius II 21,16; optime IX 2,91; XI 3,178. cf. egregie, insigniter, mirifice; varie; aliter, cautius, verius et brevius, remissius.

Omittuntur autem longe frequentissime variae formae verbi *esse*. Indic. et coni. praesentis[1]): 1. in exhibendis auctoribus, ut VIII 6,45 tale Lucreti; *qualis* saepius (cf. Friz l. l. p. 45), ut IX 4,77: quale apud Sallustium; VIII 3,75 iam sublimius illud pro Archia. — In quaestione: XII 10,23 quid ille Aeschines? 2. in locutionibus quibusdam sermonis cotidiani: XI 1,88 non mirum quod;[2]) nec mirum I 2,7 etc.; minus mirum si I 4,16; nihil mirum VI 3,80; nihil ad V 13,10 (Friz l. l. p. 68 sq.); argumentum quod I 1,2; cf. VI 1,41; VII 2,18; — V 10,70 *vulgatum*: quo schema, si intellegitur? — V 14,22 non utique. — 3. His exemplis subiungam finitimum quoddam genus, quod apparet in quaerendis discipulis vel lectoribus et in opponendis singulis membris vel si quod vocabulum plus ponderis habere dicens vult; cf. VII 2,54 quis testis, quis iudex e. q. s. I 10,22 num; XII 1,7; V 10,4—5; — Plus gravitatis sententiis inest, cum per anaphoram aut chiasmum aliquid dicitur; quare in hoc usu saepe ellipsis, cf. X 1,73; ibid. 106. — Si singula vocabula premuntur, frequentissime primum locum sententiae obtinent, cf. II 15,1 prima ac praecipua differentia quod; 15,37 probabilis et illi voluntatis; ita ponuntur comparativus et superlativus (cf. Friz l. l. p. 46 sq.). Aliae voces primo loco omisso verbo positae sunt: aliquando II 7,5: hinc II 2,12; 4,6; 4,16; III 6,84; V 10,50; inde I 5,69; II 17,30; unde, ex hoc, ex eo, sic, item, similiter; pronomina *hoc, haec, illa*, cf. V 13,41; 12,13. — 4. in docendis discipulis, si magister praecipit, si brevissime explicat res, si dividit, si nota omnibus themata vel proverbia affert; cf. V 10,36;

---

[1]) XI 3,3 nam cum haec omnia fecerimus, felices tamen (sc. *erimus*, fortasse propter antecedentem formam *fecerimus*).

[2]) Similiter nos: „Kein Wunder, wenn (weil)". Cf. „Was Wunder"? V 10,107 quid signi?

III 6,71 iudicatio an potuerit; 73; 74 etc. III 11,4. — divisio: VI 2,2 simplex; V 7,1; VII 1,9; duplex I 3,1; VIII 6,67; triplex VI 3,23; multiplex XI 3,17; cf. V 14,25 enthymema ex consequentibus; 14,19; VII 1,9; 2,39 rectior divisio. — in praecipiendo: IV 3,8 verum haec breviter omnia; VI 1,6 id autem; XII 1,1; II 13,1 utique prooemium et id quale; cf. VI 5,5. IV 1,62 modus autem principii pro causa. — Denique 5. in gerundivo et part. perf. pass. cf. VIII 2,16; III 11,11; VIII 8,6; 6,24.— I 5,13 secuti (sc. sunt); 5,20 usi (sc. sunt)[1]; X 1,56.

Praeteritum verbi copulativi esse raro deest (Friz l. l. p. 58 octo locos affert) eodem modo ut supra de praesente dictum est.

Etiam *infinitivi* ellipsis imprimis occurrit in gerundivis et part. perf. pass. ac fut. act., maxime in constructione verbi putandi (65), credendi, existimandi, arbitrandi, dicendi, sciendi (14). Cf. etiam V 6,3 iniquam condicionem . . . dicet (recta or.: 'iniqua condicio'); V 12,2 negat suum(r. or.: non meum); XI 1,81 fateris tuam (sc. culpam); II 10,8 scire falsum. Formas *fore* et *fuisse* apud Quintilianum numquam deesse iure affirmat Friz l. l. p. 35.

In enuntiatis obliquis idem valet quod in oratione recta. *Si*: in oppositione membrorum: VIII 6,52 *vitium* meo quidem iudicio, siquidem dicere dilucide *virtus*, XI 1,82 et si *filia* nata (premitur vocabulum *filia*). In syllogismo V 10,73: si continentia virtus, utique et abstinentia; non si laetitia bonum, et voluptas: non quod mulieri, idem pupillo; ibid. 74: si bonum iustitia, est recte iudicandum, si malum perfidia, non est fallendum (Raderm. autem: si *est* bonum iustitia, recte iudicandum). — In divisione: VI 1,16 si senex, si puer, si magistratus, si probus; VII 4,18 vita praecedens, si innocens, si bene meritus, si spes. . . futuri.[2]) — In quaestionibus obliquis secundum consuetudinem vulgarem etiam in schola receptam: VI 3,84 cum interrogasset rectene omnia; cf. II 4,21; VII 3,10; 2,7; I 4,17; XII 2,28 quae vere bona; 7,10. IV 2,2; VI 3,7; VII 2,3. — In enuntiatis relativis: VIII 5,33 Demosthenes multa, quae ante eum nemo; X 4,4 qui parcissime; I 5,38 qui plenissime; VIII 2,7; 3,10; III 6.25. — Cf. VIII 4,9 ut idem atque in eodem loco; I 6,34 quasi; XI 1,61 quia.

Multis locis dubitari potest, quid verbi suppleas, utrum faciendi an dicendi an esse, sed non refert (cf. Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte 1898[3] § 221).[3]) Si modo sensus est apertus, omnino non est necesse multa verba facere, quod imprimis fit in locutionibus quibusdam sermonis vulgaris, quae consuetudine iam nota sunt ideoque intelleguntur, etsi verbum deest. Huius generis sunt proverbia, quae complura exstant in libro V. (Cf. Friz l. l. p. 58). At v. XII 7,9 Caecis hoc . . . clarum *est*; 9,18 omni pede standum *est*. Apparet igitur *esse* modo positum modo omissum, cf. VII 2,12 proba hominem occisum, at ibid. 2,18 hominem

---

[1]) At ponitur verbum primā personā, cf. IX 3,67: quibus exemplis *sum* in aliud *usus*.

[2]) Sic interpungendum est.

[3]) Cf. etiam O. Nußbaumer, Die Satzkopula im Indogermanischen, Paderborn 1909, p. 28 sqq.

occisum *esse* manifestum sit. Hic causa evidens est, ne cacophonia fiat (homin*em* occis*um* manifest*um*); cf. VII 1,45 excusat*um* esse rustic*um*. Friz. l. l. p. 10 affert VIII 3,35 prim*um* dict*um* esse obsequi*um*. Dat Quint. operam, ne vocalitas orationis neve modi numerique turbentur. Sunt autem loci, ubi causam verbi sive omissi sive positi non videas. Hic valet, quod ipse Quint. in re simili dicit IX 4,119: 'rationem fortasse non reddam, *sentiam* esse melius'; deinde: 'Ad *sensum* igitur referenda sunt'.

Quoniam singulas species persecuti sumus, restat, ut quaeramus, quid in hoc usu Quintiliani proprium sit. Sunt autem alia exempla ex poëtarum consuetudine [1]) alia eaque plurima sumpta ex sermone cotidiano, qui etiam valet in iudiciis et in traditis materiis scholasticis. Similis brevitas dicendi, qua etiam magistri in instituendis discipulis usi esse videntur, occurrit in Instit. orat. Nam studet scriptor cogitata presse et dilucide effingere, ut interdum singula vocabula inveniantur pro totis enuntiatis. Hoc autem scribendi genus ipsius maxime proprium videtur. Cf. exempla supra de hac re allata; V 13,8 testes erunt; multa in eos dicere licet: chirographum (sc. erit vel finge vel simile), de similitudine litterarum disserendum; V 7,37 *venenum* arguis (sc. *me* et *dedisse* cf. VII 2,17 ven. sibi datum); VII 3,22 furtum fatetur. Cf. Schmalz, Antib. s. v. simulare, ubi affertur ex Liv. 'simulat aegrum'.

Hoc loco moneam coniunctionem *nam*, quam valde amat Quint., haud raro ita positam inveniri, ut sententia interserenda videatur vel potius subaudiatur[2]) cf. VI 3,33 quidam ita sunt receptae auctoritatis . . . ut nocitura sit in eos dicendi petulantia: nam de amicis iam praeceptum est (sc. amicos praetereo; nam . . .); II 17,15; VII 6,3; IX 3,18—19: detractionis, quae in complexu sermonis aut vitium habet aut figuram; vitium ut . . . *nam* de altera detractione pluribus dicendum est [3]) (sc. alteram hic praetereo; nam . . .); X 1,12 (cf. Krüger ad h. l.); II 20,10 at prooemium aliquando ac narrationem dicet malus homo et argumenta, sic ut nihil sit in iis requirendum; *nam* et latro pugnabit acriter (sc. nec mirum).[4]) Sic interpretandum est II 11,7, nisi quod hic etiam verbum omittitur: 'magnas tamen sententias et res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt, *nam* et barbari et servi'.

Saepius *accusativus subiecti* omittitur apud infinitivum.[5]) Deest eum: V 12,5 sciebas mutaturum tabulas, ubi ἀπὸ κοινοῦ suppletur ex praecedente *offenderas eum*; at V 13,12 eum omnino omittitur. V 7,15 fingamus scire cf. VII 1,60; IV 2,113 summum enim virum ostendit;

---

[1]) Cf. Winter Theod.: De ellipsi verbi esse apud Cat. Verg. Ov. Stat. Iuv. obvia capita duo. Diss. Marb. 1907.

[2]) Cf. Naeg.-Müller l. l. p. 783[9] sqq. — Ex Suet. multa collegit huius modi exempla Joh. Wolfg. Freund: De C. Suet. Tranqu. usu atque genere dicendi. Berlin 1901 p. 68.

[3]) Spectat ad IX 3,58. Recte sic Halm lectionem emendavit secundum sermonem Quintilianeum.

[4]) Similem ellipsin coniunctivo *perfecti* in enuntiatis consecutivis subesse statuit R. Methner, Neue Jahrbücher f. d. kl. A. 1899 II 199.

[5]) Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 437. — Reisig-Haase § 449. — Ströbel, l. c. p. 21 sq.

XII 1,43; VII 1,32; 1,59. V. Bonn. lex. proleg. p. LXIV sq. — III 6,93 tamquam insidiatorem occisum . . . dixerit (sc. *Clodium*, quod nomen omnino non commemoratur!); X 1,7 solitos scio ediscere (sc. *quosdam* vel *aliquos*). Similiter *nominativus* subiecti deest (= quidam) X 7,25 dum tamen quasi dicat intra se ipsum. Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 336 adn. 1. Ströbel. l. c. p. 21. Quare equidem puto VI 1,18 legendum esse: *occisus* (Meister et Raderm. <est aliquis>): utrum ferro e. q. s. Cf. VI 1,16 pulsatum querimur (sc. *aliquem*, *hominem*; cf. XI 2,31 hominem occisum queror; VII 2,12). Hoc modo etiam V 9,11 accipiendum est: alioqui sunt quaedam signa utrique parti communia, ut livores, tumores; nam . . . cruditatis et vulnus in pectore sua manu et aliena perisse dicentibus in aequo est (Sic Raderm. cf. Meister). Equidem ita interpungam: et vulnus in pectore[1]): sua manu . . . perisse (sc. *aliquem* vel *hominem*) dicentibus *in aequo* est.[2])

§ 3. Subiungam illud brevitatis genus, quod fit per *comparationem compendiariam* quam vocamus. (Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 683.) II 17,20 permutato cum uxore habitu; cf. III 7,6; V 11,40 Aiacem naves suas Atheniensibus iunxisse; XI 3,53 respiratio sub aqua diu pressi similis; XII 10,24 Periclem similem credere Lysiacae gracilitati; VI 1,25 in locum lacrimarum eius ipse successit; IX 1,18 adicit verbis et sententiis figuras colorum.

Caput III.

De abundantia quadam dicendi.

Quintilianum omni fere genere brevitatis large usum esse ex eis apparet, quae modo pluribus disseruimus. Quare primo aspectu mirum videtur, si est etiam disputandum de abundantia quadam orationis, quam longe abesse ab illo credas. Atqui ne hanc quidem verborum figuram Quintiliani aetas fugit; nam ut ipse IX 3,46 dicit, ʻid cum supervacua oneratur adiectione, vitium est, cum auget aut manifestat sententiam, virtusʼ.

§ 1.
De pleonasmo.

Atque ut inde ordiar, memorabilis videtur argenteae aetatis usus, quod praedicatum non solo adiectivo, sed voce *rei* addita significatur. Ex magna copia exemplorum complura afferre satis sit: II 13,2 erat enim rhetorice *res* prorsus facilis et parva; ibid.: ideo *res* in oratore praecipua consilium est; cf. VI 3,8; 4,11 non est *res* animi iacentis. Cf. *quae res* IV 1,18; VII 1,34; 1,60; IV 5,6; *res eadem* IV 3,11; VIII 5,27.[3])

---

[1]) Cf. supra V 13,8 chirographum: de . . . disserendum.

[2]) Cf. Sen. de vita beata 2,4: omnes aut sunt hostes aut, quod *in aequo est*, esse possunt.

[3]) Quare Meister in ed. sua, Spald. secutus, recte III 11,1 scripsisse videtur: ʻquaestio latius intellegitur < res > omnis, de qua . . . dici credibiliter potest.ʼ At in Berl. Phil. W. 1904 col. 93/94 reicit *res*, item Raderm. in ed. sua.

V. Grasberger l. l. p. 95: Plin. N. H. XXXII 1,4; XXXV 3,12; XIX 4,58; frequentissimus hic usus est apud Senecam, ut de ben. IV 9,1; ibid. 18,11; V 11,5. N. qu. I prol. 5; VI 1,14; epp. III 2,4; X 1,6. Cf. Catull 83,5.

Deinde amat Quint. imprimis vocabulum *statim* ita positum, ut saepe usurpetur praeter pron. *ipse,* id quod nusquam apud Ciceronem reperias: I 1,24 in ipsis statim elementis; II 11,1 in ipso st. limine; XII 10,27 ipsis st. sonis; VI 4,14 a primis st. actionibus; cf. X 1,16 cum ipsis protinus rebus (cf. hyperbaton!). Abundanter dicta, qualia apud Ciceronem quoque inveniuntur, etiam haec videntur: I 10,15 in hac sententia, ut existimarent; II 15,24 in hac opinione, ut — existimet; cf. III 3,11; IV 1,28; 2,9; VIII 2,21. persuasio, ut . . . putent; V 10,23 cum sit divisio, ut omnia in haec duo partiamur. — V 14,27 confertam esse aggressionum et enthymematum stipatione; VII 3,27 *leviter* in *transitu* attingere. — III 11,21 *minutas particulas* vel VIII 5,14 *minuti sensiculi*[1]) non offendunt Quintilianum, at 'magnum peculiolum' I 5,46 vituperat. (Cf. tam minutae particulae III 11,21 et V 11,30 minutissimae partes.)

Plenior sermo exstat IV 2,66 nihil facilius nisi *prorsus totam* causam *omnino* non agere. — III 8,9 C. Sallustius . . . nihil ad historiam pertinentibus *principiis orsus* est; cf. IV prooem. 5 quod *initio,* quo *primum* hanc materiam *inchoavi,* non feceram. Cf. Tac. Germ. 30 initium sedis inchoatur.[2])

Etiam Cic. verbum 'solere' coniungit per pleonasmum cum particula *saepe.* Cf. Quint. III 10,1; V 7,32; *frequenter* V 7,12; IX 4,58; *fere* I 5,11; IX 3,12; *aliquando* V 14,3; *interim* I 4,23; IV 2,19; *nonnumquam* IV 2,77.

Denique notandum videtur *nempe enim* II 13,9; VIII prooem 6; XII 10,46 (Becher). Cf. Tac. Dial. 35. — *tum deinde* XII 10,11; IV 2,27 (cod. A; Radermacher haud recte delet tum). V. Schmalz, Antib.[7] s. v. deinde. Cf. etiam Prosper Spindler: De Arnobi genere dicendi, Straßb. 1901, p. 61, qui laudat Liv. II 8,3; Sen. ep. 101,4 et ex Arnob. quinque locos enumerat, ut 74,15. — *nec non* = et occurrit saepe, ut I 4,15; 5,36; *nec non et* IX 4,25; *nec non quoque* III 7,18. Cf. Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 507. Ibi laudantur Petron., Plin. mai.; Quint. Adde Vell. II 95,2.

§ 2. Similis orationis abundantia efficitur etiam congerie et coacervatione verborum idem vel simile significantium. Ea autem figura oratoris maxime propria est, ut mirum non sit, quod invenitur apud Quintilianum, utpote qui magister artis rhetoricae esset. Pauca afferam exempla: IV 2,116 gratia et venere; cf. VI 3,18; X 1,96 iucunditas et gratia; V 10,119 perfectus atque consummatus; cf. XII 1,25 singularem perfectumque undique; V 10,123 aptum atque conveniens; cf. IX 4,144 aptum atque idoneum; VI 1,30 squalidos atque deformes; ibid. 33 sordes et squalorem; VI 2,13 mite et placidum; cf. VI 2,19; ibid. 2,13 amabile et iucundum; VI 3,8 deformitas et turpitudo; VI 2,19 elatum ac sublime;

---

1) cf. Naeg.-Müller, Lat. Stil. p. 199 sq.

2) cf. Caes. B. G. V 26,1; VIII 38,3. — Heraeus ad Tac. hist. I 39 multa affert exempla, etiam ex Ter. Cic. Liv.

cf. XI 1,16 sublime quiddam et erectum; VI 3,94 credo et verum est; IX 4,17 currere ac ferri; ibid. rudibus et incompositis; cf. X 1,79; XI 2,18 sine cunctatione ac mora; III 1,5 contra sentire et adversari; VII 4,24 hic regnat, hic imperat, hic sola vincit; XII 10,14 aridi et exsuci et exsangues.

§ 3. Nonnulla accedunt ad σχῆμα ἐκ παραλλήλου, quod dicitur: II 4,8 siccus et sine umore ullo; V 13,16 secreto et sine teste aut argumento; I 2,3 iuncta atque indiscreta; cf. X 1,2 conexa et indiscreta; VIII prooem. 15 gladius conditus atque intra vaginam suam haerens.

Caput IV.

Figurae quae efficiuntur positione vocabulorum: Huius generis sunt anaphora, chiasmus,[1]) hyperbaton.

§ 1. *Anaphora* crebro adhibetur et maxime in narratione concitata: I 2,21 audiet multa cotidie probari, multa corrigi; cf. I 3,6; 3,13; 6,1. — VII 4,24 hic regnat, hic imperat, hic sola vincit; cf. VI 2,4 hoc est, quod dominatur in iudiciis, hic eloquentia regnat[2]) (Meister sec. Halmium recte, ut videtur; Raderm. '*haec* eloqu. regnat'). cf. XII 10,62; 10,65; VI 2,7; 2,17; VIII prooem. 16; XI 3,72 hoc (vultu) supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc *tristes*, hoc *hilares*, hoc *erecti*, hoc *summissi* sumus (vide chiasmum!); X 3,3 illic radices, illic fundamenta sunt, illic opes ...; VI 2,19 nihil ... nihil; X 1,56 *quid*; cf. VI 5,5; VI 3,14 nulla exercitatio est, nulli praeceptores; V 13,58 sunt qui — sunt qui; V 10,13 siquid — siquid; X 1,115 inveni qui — inveni qui; X 1,99 licet — licet — licet; VI 2,14 procul ab — procul ab; cf. V 13,3: *accusator* dat testem, *patronus* ex re ipsa refellit; *accusator* e criminum invidia ..., quae *patrono* tantum neganda sunt. Hic omisit anaphoram.

§ 2. Frequentissime etiam *chiasmum* invenimus, ut II 13,10 cursum habent quaedam et impetum, sedent alia vel incumbunt, nuda *haec, illa* velata sunt, quaedam mixta ex utroque; VII 2,21 potior est salus *nostra* quam *adversarii* pernicies; VIII prooem. 20 non corpus exornat, sed detegit mentem; IV 1,13 tum dignitas eius allegatur tum commendatur infirmitas; VI 3,5 plus iudicii in eligendis quam in congerendis studii; V 14,32 indubitata colligunt et probant confessa; XI 1,17 qui nec cedere volunt nec possunt contendere; V 14,30 si ... contemptum ex humilitate et odium ex quadam servitute et ex copia satietatem et ex similitudine fastidium tulerit (2 + 2); VIII 3,18 quod alibi magnificum, tumidum alibi; IX 4,42 cadentia similiter et similiter desinentia; X 3,17 verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit

---

[1]) cf. Naeg.-Müller, Lat. Stil. p. 677[9] sqq. — Schmalz, Lat. Syntax[4] p. 642 sq.

[2]) IX 4,62 haec est sedes orationis, hoc auditor exspectat, hic laus omnis *declamat*. Haec lectio (AG) magis convenire videtur sermoni Quintilianeo quam Halmii coniectura *declamantium*. Etiam Meister (Berl. Phil. W. 1904, col. 188) resumpsit codicum lectionem.

levitas; — XII 6,4 defervisse tempore et annis liquata. Hic locus ex Cic. or. 30,107 sumptus est, sed apud Ciceronem legimus tantum *defervisse*. Membrum secundum cum chiasmo adiecit *rhetor* Quintilianus.

§ 3. Quod attinet ad *hyperbaton*,[1]) adhibetur, ut orationi numeri quidam inspirentur et verba placidius feriant aures. Imprimis pronomina congeruntur, ut V 10,17 quo quaeque modo res; 12,15 quo quaeque res modo; VI 2,2 quo id modo; cf. VII 1,54. — Frequenter interponuntur pronomina vel substantiva unius syllabae. V 13,22 multis hoc locis; XII 2,24 ad hunc nos laborem; VI 5,7 parum id prospere; VI prooem. 13 ad omnium spes honorum; 4,17 multi res consilii atque artis est (res Spalding, Meister, in re libri, Radermacher omnino res delet); XII 11,24 mediocri vir ingenio.[2]) Cf. etiam X 1,92 ceterarum fulgore virtutum; Vell. II 119,4 diri auctor exempli; ibid. 33,1 alienae minister potentiae. — Saepe pronomina dirimuntur a substantivis suis. *Aliquis:* VI prooem. 14 aliqua tot luctibus alia cogitatio; ibid. 3,71 aliqua ex nobis adiectio; VII 2,13; VI 3,96 si qua etiam ambiguitate conditur. — *Ille*: IV 2,63 illa quoque . . . virtus; V 14,29 illarum certe ignaros litterarum; VII 1,50; 2,11; 2,48. — *Hic:* VIII 1,3 huius alumnum urbis; cf. V 14,35; IV 3,14; I 1,18. — *Qui:* IV 5,8 quo . . . dicturi simus ordine; VI 4,19 quo iudex dicto moveatur. — *Is:* II 21,14 eius esse oratorem rei. — *Idem:* VII 3,15 eadem . . . utilitas; XII 10,43. — *Alius:* I 8,14 aliis in carmine appellationibus; VII 2,31. — Cf. unius emendatione verbi I 5,34; VIII 1,2 unius affectatione verbi; XI 2,19 unius admonitione verbi (rhythmi causa I 5,16 unius verbi vitium!); cf. I prooem. 14 totius administratione reipublicae. Vell. II 72,1 unius temeritate facti. — X 1,41 primos *statim* versus; XI 1,57 in omnibus statim accusationibus; X 7,11 totos simul . . . versus; 7,16 in plures simul continuas; VI 1,1 totam simul causam; IX 2,48 per totas interim quaestiones; X 7,3 tota subito causa; X 1,6 cum ipsis protinus rebus. — Dirimuntur etiam adiectiva, participia, gerundiva: IV 1,71 magnis saepe oratoribus; I 9,2 salvo modo poetae sensu; XII 11,29; VIII 4,14; V 10,96. — VI 1,46 motos lacrimis iudices; XII 7,8 cognita inter discendum iniquitate; I 10,4 scripto ad Brutum libro; I 9,3; X 1,32. — XI 2,41 iuvandae studio memoriae et alia plurima. — Creberrime interponuntur enuntiata relativa, ut IV 3,13 abrupto quem incohaverat sermone; 5,9 hunc quem tueor reum; VI 1,28 ab illo quem ceperat impetu; V 10,92 ipsam quam vito loquacitatem; 12,8 omnibus semper quae invenerimus argumentis. — Illud denique notandum omnibus fere locis, paucissimis exceptis (cf. II 17,2 studiis aliquid suis; I 9,6 narratiunculas a poëtis celebratas), adiectivum vel pronomen vel participium *ante* substantivum, a quo dirimuntur, posita inveniri.

§ 4. Saepe etiam secundum morem aetatis argenteae verba con-

---

[1]) cf. Norden, Antike Kunstprosa, I p. 179 sq. — Schmalz, Lat. Synt.[4] p. 647.

[2]) Certe igitur X 1,102 scribendum est *clari vir ingenii* (clarius ingenii G, clarus ingenio MS, clarus vi ingenii Kiderlin, quem secutus est Krüger). Cf. Vell. II 75,1 magni vir animi.

trarium significantia iuxta ponuntur: V 7,7 quem *adulescentulus senem* vidi; 9,16 sunt autem signa etiam *parva magnorum*; I 2,14 ut cena *minus pluribus* sufficit; X 5,11 bene dicere *multa de paucis*; XI 3,157 *auditurum dicturi* cura delectat; I prooem. 13 eloquentiae *bonis male* uti. — Vocabula eadem variis casibus opponuntur: I 2,9 unus uni; III 8,26 omnes in omnem; VII 10,17 verba verbis;[1]) IX 4,126 asperis asperos etiam numeros adhibere.

Caput V.

Aliae figurae.

§ 1. *Alliteratio* [2]) satis frequenter occurrit. Haec tantum exempla afferam: *a*gilior et *a*crior XI 3,164; *c*ertos *c*onstitutosque *c*ursus I 10,46; *fa*cilis et *fa*vorabilis V 10,113; cf. XII 6,6; X 5,21; *fl*exa et *fl*ebilis XI 3,64; *f*usi ac *fl*uentes IX 4,138; *l*aeta, non *l*uxuriosa XII 10,80; *l*icentius aut *l*aetius II 4,14; *l*uxuriam et *l*ibidinem XII 10,47; *p*exus *p*inguisque doctor I 5,14; *pr*ima atque *pr*aecipua II 15,1; cf. primum ac potentissimum VI 5,5; *s*icca ac *s*evera II 4,6; cf. *s*iccum et *s*ollicitum XI 1,32; *s*upini *s*ecurique; ibid. 3,3; *t*umultuosius atque *t*urbidius III 8,61; *v*ariet atque *v*erset V 14,32; *v*erba *v*ultumque VI 2,26; cf. IV 1,60; *v*ultus et *v*ox VI 1,45; cf. 3,9; IV 1,55. — Cf. IX 2,63 *v*arios *v*elut *v*ultus; VI prooem. 2 *m*etu *m*eae *m*ortalitatis. VI 3,28 *m*alim *m*ihi *l*enibus uti *l*icere; cf. IX 2,32 hoc *m*odo *m*ollior *fi*t *fi*gura; cf. II 4,12 *m*olli *m*anu (Sen. ep. XI 3,2 *m*ale *m*ihi esse *m*alo quam *m*olliter); XII 9,4 *v*erae *v*irtutis *f*ortior *f*ama; cf. X 1,11 *f*irma quaedam *f*acilitas (item 1,59); X 1,111 *f*elicissima *f*acilitas. — Schmalz, As. Pollio p. 48 sq. monet locutionem illam '*m*inime *m*iror' apud poëtas et apud scriptores epistularum frequenter occurrere allitterationis causa; apud Quintilianum non invenitur *minime miror*, at *m*inus *m*iror, ut II 4,8; III 1,12; VI 1,7; XI 3,164. Unde etiam efficitur, ut poëtae et oratores allitterationem captantes libenter *adverbium* aptum ad verbum vel adiectivum quaesiverint. Sic legitur apud Quintilianum IX 2,38 *m*ire *m*overe; III 5,14 *m*irabiliter *m*ulta; VI 3,9 *f*requentissime *f*rangat; 4,14 *fi*deliter *fi*rmum; cf. I 4,5 oratoris *f*uturi *f*undamenta *f*ideliter iacere; I 3,4 *fac*ile *fac*iunt; V 11,10 ad *f*ortiter *f*aciendum; XI 1,62 *f*ortiter *f*uit repellenda.[3])

§ 2. Contrarium allitterationi est homoioteleuton, quam ipsam figuram Quintilianus non respuit (cf. IX 3,77), sed compluribus locis adhibet

---

[1]) De substantivi parataxi cf. Arch. lexic. 1888 p. 161 sqq. — Cf. etiam G. Kellermann, Die Wortparataxe in der Klausel des lat. Hexameters und Pentameters, Progr. Kemptem 1909.

[2]) Cf. Arch. lex. III p. 443 sqq. — Fortuitae, non quaesitae alliterationis exempla haec videntur: I 3,5 quae *s*ummo *s*olo *s*parsa *s*unt *s*emina; VI 5,3 alte *p*etita et *p*lerumque *p*lura *p*er*p*endens et com*p*arans; VII prooem. 4 in*f*initae litium *f*ormae *f*uerint *f*uturaeque sint. etc.

[3]) Horum exemplorum numerus cum facile possit augeri, non recte Schmalz, L. Synt [3] p. 485 scripserat: 'Quintilian . . . macht fast gar keinen Gebrauch von. der Allitteration'. In editione quarta (1910) de Quintiliano omnino tacet p. 676[4]

ad augendam orationis vim. Ex Institutione oratoria haec fere exempla sunt afferenda: I 12,11 minus afficit sensus fati*gatio* quam cogi*tatio*: VIII 5,11 non tam prob*atio* quam extrema quasi insul*tatio*; VI 1,2 non iam enume*ratio*, sed quasi altera fiet *oratio*; cf. IX 4,18 respi*ratio* — *ratio*. — XII 10,2 ut auc*tores* sic etiam ama*tores* habent. — II 4,4 quod ex in*opia* quam quod ex *copia* venit. — V 14,35 ut sint orna*mento*, non impedi*mento*. — VI 1,6 non argu*entis* est, sed mo*nentis*. — Wölfflin dicit in Archivo lex. I p. 370: „Man wird in den Worten der Vorrede I 1,2 non na*turam* defecisse, sed *curam*[1]) gewiß (?) keinen beabsichtigten Reim erkennen wollen, zumal derselbe durch den dazwischengestellten Infinitiv verdorben (?) ist". Quint. quidem ipse IX 3,75 simile exemplum ex Cicerone affert: 'non tam *spes* laudanda quam *res* est', tamen credibile videtur Quintilianum talem tritam locutionem non consulto quaesivisse; cf. etiam III 9,9 nec p*ingere* quisquam nec f*ingere*.

§ 3. *Composita* potissimum *eiusdem verbi* simplicis alterum alteri opponere in deliciis habebatur. Cf. VI 3,5 facilius quod *reici* quam quod *adici* possit, invenient; XII 11,20 non in *percipiendo* exhauserunt, sed in *praecipiendo* (Sic Halm, etiam Meister); IV 2,44 satius est aliquid narrationi *superesse* puam *deesse*; cf. 5,25; I 1,10; IX 4,84 *supersit* aut *desit*; X 3,26 (At X 1,76 desit — redundet; VIII 2,22 neque desit neque superfluat). V. Schmalz, Asin. Pollio p. 51: „Die Zusammen- und Gegenüberstellung von Composita des Verbums esse war sehr beliebt, namentlich bei denen, *welche der Volkssprache nahestehen*". Laudat ille deese — superesse apud As. Poll. Cic. fam. Val. Max; poterat addere *Quintilianum* (cf. Cic. de or. II 25,108 *absit* — *supersit*). — Cf. X 7,4 *perisse* profecto . . . *praeteritum* laborem. — Caes. B.G. II 7,2 studium . . . *accessit* et . . . spes. . . . *discessit*.

§ 4. Similes verborum argutiae, quae apud scriptores imprimis argenteae aetatis frequenter occurrunt, etiam hae sunt: VIII prooem. 29 dum *discimus*, non dum *dicimus*; X 1,59 *multa* magis quam *multorum*; XII 3,2 ipse litigantium *auxiliator* egebit *auxilio*; XII 11,7 se*cretus* et con*secratus*; 11,30 qua (orandi maiestate) re*mota muta* sunt omnia. — cf. VIII 5,32 dum timent, ne aliquando cadant, semper iacent; XI 3,184 nedum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et gravis auctoritatem.

§ 5. Ad eius aetatis consuetudinem pertinet etiam latior usus adiectivorum *infinitus* et *ingens*: Cf. X 3,12 infin. curae; III 1,7 inf. dissensio; VII prooem. 4 inf. litium formae; VI 1,15 inf. tractatus habere; *in infinitum* IV 1,43; I 10,49; II 17,16; XI 2,8; *ad infinitum usque* pervenire XI 2,41. — ingenti clamore VI 4,11; ing. cicatrix VI 3,100; ing.

---

[1]) *Natura* et *cura* saepius contraponuntur apud Quintilianum, ut X 1,106; 1,86. At Vell. II 2,2 et *natura* et *industria*; ibid. 97,2 *natura* mortalis recipit vel *industria* perficit.

dimicatio V 7,3; ing. discrimen VI 1,37; ing. error III 6,7. V. Bonn. lex. s. v. v. Schmalz, Antib. s. v. v.

§ 6. *Antimetabole sive commutatio*, figura stili elegantioris, satis frequens ad exornandum dictionem arcessitur[1]): II 19,2 natura sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit; cf. XII 6,4; VI 5,11; I 6,41 ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova; IV 2,127 perire artem putamus, nisi appareat, cum desinat ars esse, si apparet; V 13,37; VII 2,47; X 3,10 cito scribendo non fit ut bene scribatur, bene scribendo fit ut cito; 7,21 qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur; XII 10,54; V 10,114. — Cf. Vell. II 117,2 Syria . . . quam pauper divitem ingressus dives pauperem reliquit. De Sen. phil. v. Rauschning l. l. p. 24. V. Val. Max. III 2,14 potior dignitas sine vita quam vita sine dignitate; cf. IV 4,9; VI 9,11; VIII 14 prooem.

§ 7. *Hysteron-proteron* v. II 16,16 *educare* fetus et *excludere*; IX 4,18 *cludendi incohandique* sententias ratio; I prooem. 10 *regere* consiliis urbes, *fundare* legibus, *emendare* iudiciis; cf. V 14,1 *rationem* et *propositionem*.

§ 8. Maxime autem Quintilianum dedisse operam, ut effugeret iterationes molestas ac multa variatione delectaret audientium sive potius legentium aures, facile noscitur, cum legimus Institutionem oratoriam. Exempla ea potissimum afferam, ex quibus apparet *studuisse* eum variationi[2]): III 8,46 „cum Ciceroni dabimus consilium . . . ut Philippicas, ita *vitam* pollicente eo, exurat, non cupiditatem *lucis* allegabimus . . .“ Ne cogatur rursus adhibere vocabulum *vitae*, poëtarum locutione utitur *lucis*. — VI 3,28 licere — permissum est — concessum sit; cf. V 11,4 concedetur — fatendum erit; VI 2,11 nec abnuo — non concedo. — VI 4,2 *utile est*, ita *prosit* necesse est. — VII 2,24 praecipitata esset . . . an se ipsa iecisset. — IX 4,72 foedissimum — deforme. — V 14,33 sermone puro et *dilucido* et distincto — destincta quidem ac *perspicua*. — V 10,105 creditum *totum exigere*; sequitur: *solidum petere*. —

§ 9. Ne talibus exemplis enumerandis prorsus fatigem, transeam nunc ad aliam figuram, quae valde amatur a Quintiliano, *ad litoten*,[3]) quae adhibetur ad modeste affirmandum item atque coniunctivus perfecti potentialis. Reperiuntur varia huius figurae genera, id quod ipsum

---

[1]) cf. Schiller in illa de bello XXX annorum historia: „Wallenstein fiel, nicht weil er Rebell war, sondern er rebellierte, weil er fiel“.

[2]) Tamen ubi non assurgit, sed leviter fluit oratio interdum Quint. neglegentiorem quandam dictionem sibi permittens brevi intervallo idem vocabulum bis terve adhibet, quod et ipsum documento est illum familiari usum esse dicendi genere. V. exempla in lex. Bonn. prol. p. LXXX sqq.! Et maxime sic acervantur coniunctiones; cf. etiam supra p. 37 s. v. longe. — De tali Ciceronis consuetudine cf. Ströbel, Tulliana, München (Progr.) 1908 p. 9 sq.

[3]) Cf. Studien über die Figur der Litotes, C. Weyman, Leipzig 1886.

documento est Quintilianum diligentissime dedisse operam poëtarum lectioni, quibus sermo eius plurimum debet.

I. Verba, adiectiva, adverbia, participia cum 'in privativo' composita: non ignore I prooem. 1; IV 2,100; X 7,5; nec ignoro saepissime, ut II 4,38; nemo ignorat III 8,10. — non indignor I 2,10; 11,17. — neque infitiabor II 1,6; neque infitias eo III 7,3; IV 2,66. — non ignarus III prooem. 2 passim. — non ignobilis saepissime ut I 12,18; V 11,40. — non immerito IV prooem. 3 et passim. — non imperitus I 1,11. — nec impervius XII 11,11. — non improbe XII 7,5 cf. I 3,13. — non indecens XI 1,82; 3,158; cf. non indecenter I 5,64; non indecore IX 4,24. — non indignus III 11,22; VI 1,37 etc. — non indistincta v. VIII 2,23;[1]) cf. XII 10,39, ubi necessario ‹non› suppletur, cf. adn. 2! — non inerudite I 10,33. — non ingratus IX 2,14 et saepe (Cic.). — non inhabilis XI 3,146. — non inhumanus V 13,41. — non iniucundus IV 5,4; X 1,124; XI 3,60. — non iniustus VI prooem. 14; XI 1,68; cf. prooem. 2. — non inornatus IV 2,46. — non inscius II 21,14 (Cic. tantum habet *non nescius*); non inscius occurrit primum apud Verg. Aen. VIII 627, tum ap. Ov. Val. Flacc. alios. — non inurbanus VI 3,26. — non inutilis saepissime legitur; non inutiliter IV 1,71; 2,15;[2]) 3,7 et passim. — non invenuste I 6,27 (at V 13,48 *venuste*) cf. Gell. N. A. XII 2,1 gravitatem non invenustam. — non inverecunde VII 4,10 (Weyman laudat Macrob. sat. VI 1,4; locus Quintilianeus addendus!).

II. Vocabula composita cum syllaba *dis*-vel alia negativa: non diffiteor II 17,5. — non displiceo II 5,17 — non dissentio II 15,10. — non dissidens XI 3,165. — non dissimilis I 2,2 et frequentissime. — non dissona vox IX 3,72 (Stat.). — nec abnuo VI 2,11. — non neglego I 1,22. — non nescio II 17,21; XII 3,4. — neque nolo XII 5,4.

III. Praeterea cf. non leve frigus V 7,31 (raro in oratione soluta legitur non levis). — non mediocris[3]) I 4,5 et passim; non mediocriter VIII 2,2; 2,9; XI 1,17; 1,57. — non minima pars[4]) I 10,26; 10,31; non inter minima est IX 1,13. — non neglegens IX 2,101. — non obscurus II 15,36. — non parum multi VI 2,3; X 1,124 (cf. Krüger ad h. l.); non parum significanter VI 2,17. — non pauci III 3,11; IX 3,89; III 1,21. — non simplex II 4,20 et passim; non simpliciter VIII 2,1. — non spernendus X 1,87; cf. non contemnendum X 1,54. — non timide III 8,62 (Cic. Sall.). — non ultima . . . diligentia I 8,15 (Weyman p. 538 laudat tantum Plin. N. H. XVII 91 et Sen. de ben. VI 23,5. Adde hunc locum et Hor. ep. I 17,35 'non ultima laus'). — non unus I 10,18 et saepissime.

---

[1]) neque *inordinata* aut *indistincta*.

[2]) Quam valde Quint. coluerit litoten, facile cernitur hoc loco (IV 2,15), ubi legimus: 'qui repetundarum insimulabitur, *non* et ante actam vitam . . . *non inutiliter* exponet?' Non — non inutiliter = non — utiliter. — Similiter ergo etiam XII 10,39 legendum: 'an *non* in privatis et acutus et ‹*non*› indistinctus . . . M. Tullius'?

[3]) Cf. Schmalz, Antib.[7] II 66.

[4]) Cf. Schmalz, Zeitschr. f. d. G. W. XXXV p. 136 sq. et Antib.[7] II 86.

Adverbia: non deformiter XI 1,82; XII 3,2. — non dubie IX 4,67. haud dubie I 1,4. — non frustra I 10,15; XI 3,13. — non raro IX 4,76. — non semel I 2,24; 8,5; V 10,31. — non temere VII 4,6. —

Denique vide: non sine cultu ac nitore X 1,124; non sine delectatione I 6,39; non sine gratia IX 3,18; non sine aliqua ratione (= non temere) XI 1,18; non sine motu quodam VIII 2,42 et similia.

Non dedecori fuit I 11,18; non illud est nefas XI 3,181.

Notandum I 7,3: *malus* significat hominem *non bonum.* — VI 3,19 *salsum* igitur erit, quod *non* erit *insulsum.*

Conclusio.

Iam restat, quoniam singulas dispositionis partes percurrimus et quasi ad metam pervenimus, ut breviter subducamus summam. Quae in singulis ostendimus et probavimus, in has fere sententias comprehendi possunt:

1. Quintilianus etsi Ciceronis studiosissimus est, tamen et in delectu atque usu vocabulorum et in ratione syntactica et in periodis circumducendis Ciceronem imitando quasi effingere nec vult nec potest, immo multum declinat ab consuetudine aureae et morem sequitur argenteae aetatis.

2. Quod autem locutiones quaedam speciosae plane consentiunt cum Ciceronianis (cf. p. 54 plus quam dixeris significatio IX 2,3; p. 74 quis ignorat quin XII 7,8; p. 51 receptui carmen IX 4,11 = receptui signum apud Ciceronem Phil. 13,7 etc.), tales auctor ex multa ac diligenti lectione plurimorum scriptorum memoria tenet et si res fert in opere suo usurpat, sicut etiam poëtarum lectioni non pauca sunt tribuenda. Ciceronianos vero locos (ut etiam aliorum scriptorum) Quintilianum *e memoria* citare vel inde cognoscimus, quod nonnumquam sententias Ciceronis mutatis paulum ad suam ipsius consuetudinem verbis laudat; cf. V 14,32 interim = aliquando; p. 36 adn. 3. — II 15,5 apposite = accommodate; p. 50. — V 11,28 utrumne = utrum-ne; p. 65. — IV 3,8 'habet *sedem*[1]) (sc. risus) in deformitate . . .'; Cic. deor. II 236 'habet *locum*'. — Cf. etiam XII 6,4 defervisse tempore et annis liquata p. 99.[2])

3. Ad summam denique dici potest Quintiliani elocutionem proxime accedere ad *vulgarem atque cotidianum* sermonem, id quod apparet ex paulo latiore usu multarum particularum (cf. adhuc p. 34; alioqui p. 35; interim p. 36; utrumne-an p. 45; an vero ibid.; quasi si p. 71; nisi si p. 79 etc.), verbi faciendi p. 39 sq., praepositionum velut per p. 57, pronominum indefinitorum p. 33 sq. Cf. etiam pleonasmum p. 96 sq. etc. — Quo fit quoque, ut intercedat affinitas quaedam inter

---

[1]) Sedes apud Quintilianum saepius sic translate occurrit, cf. VI 1,51 omnes adfectus . . . in epilogo *sedem habere*. IX 4,62; V 10,20; ibid. 100; 12,17.

[2]) Cf. Gr. Hettegger, Qua ratione M. F. Quintilianus in instit. orat. laudaverit scriptores, Progr. Salzburg 1905, p. 44. Ibi p. 43 sqq. permulti alii loci afferuntur, quibus verba ex Cicerone citata paululum mutata leguntur. — Inde quoque apparet Quintilianum non ita multum valere posse ad emendandas Ciceronis codicum lectiones. V. E. Ströbel, Tulliana, München (Progr.) 1908 p. 34 sq.

Quintilianum et iurisconsultos, quia hauriunt ex communi fonte, qui est sermo vulgaris. Cf. adhuc etiam p. 34 adn. 1; dum tamen p. 80 etc.

4. Et ut accuratius definiamus Quintilianeum dicendi genus in Institutione oratoria, ad explicanda praecepta eum ille maxime adhibet sermonem familiarem, qui *viget in scholis et in instituendis discipulis*, ut multis locis vivam vocem magistri audire videamur, cum exponit res, cum dividit, cum praecipit. Cf. ellipsin p. 95; parataxin et usum particularum eo, ideo; ut-ita = quidem-sed; futurum pro praesente p. 61; geminatum pronomen hic p. 33. Denique v. p. 102 adn. 2.

5. Neque vero omnino aspernatur ornamenta artis rhetoricae; nam ut laetiorem reddat praeceptorum traditionem, quae sit per se ipsa ieiuna atque arida, omne fere genus illorum luminum arcessit ad illustrandam orationem. Quoniam autem sermonem *virilem ac solidum* facere conatur et *fractum* illius aetatis *dicendi genus ad severiora revocare* sibi proposuit, suavi atque iucunda utitur moderatione. — Non alienum videtur hoc loco conferre illud, quod Franc. Filelfo acerbe magis quam apte de Quintiliano iudicavit (v. G. Voigt, Wiederbelebung d. klass. Altertums I p. 467 adn.): 'sapit hispanitatem nescio quam, hoc est barbariem plane quandam. *Nullam* habet *elegantiam, nullum nitorem, nullam suavitatem.* Neque movet dicendo Quintilianus neque satis docet nec delectat.' — Haec verba docent perspicere accuratius illum Quintilani elocutionem non studuisse. — Recte iudicat E. Norden, Antike Kunstprosa I p. 269 adn. 2.

Index.

Index eorum, de quibus critice disputatur, locorum.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum ego, Xaver Gabler, a. d. III. Non. Dec. anni MDCCCLXXIX Straubingae patre Iohanne, fabro, et matre Katharina de gente eiusdem nominis. Fidem confiteor catholicam. Illo in oppido litterarum rudimentis imbutus gymnasii disciplinis novem per annos institutus sum. Maturitatis ibi testimonium adeptus in universitate litterarum Ludovico-Maximilianea Monacensi ad studia me contuli philologica, quibus octies senos menses operam navavi. Absolutis examinibus seminarioque quod dicitur paedagogico frequentato primo Hirschbergae, in oppido Silesiae, muneribus magistri per unum prope annum functus sum, tum per biennium Augustae Vindelicorum, deinde per tres menses Monachii. Kal. Ian. autem anni MCMIX adscriptus sum praeceptorum collegio gymnasii Ambergensis.